




R.5
6/18



Dedit dono Jo. Palmarius

TABVLA COMPENDIOSA DE ORIGINE, SVCCESSIONE, ÆTATE, ET DOCTRINA VETERVM PHILOSOPHORUM, ex Plutarcho, Laertio, Cicerone, & alijs eius generis ſcriptoribus,

à

G. MORELLIO TILIANO

collecta.

Cum HIER. VVOLFII annotationibus.

Additus eſt ad operis calcem breuis INDEX, res in eo præcipuas complectens.

Alia quæ acceſſerunt, lectu iucunda, & adoleſcentiæ ſtudijs utilia, uerſa pagella notata ſunt.

BASILEAE.

Ex Officina Heruagiana, per Euſebium Epiſcopium, M. D. LXXX.

ACCESSIONES.


I. *Hermiæ insectatio dissentientium inter se philosophorum, Græcolatina: cum Hieronymi Vuolfii annotationibus.*

II. *Desiderij Iacotij Vandoperani, de philosophorum doctrina, ex Cicerone.*

III. *Hieronymi Vuolfii progymnasma scholasticum in aliquot Ciceronis sententias, Græcè Latineq; conuersas, & accuratè explicatas.*

IIII. *Gregorij Nazanzeni* Ἀλφάβητον ἠθικὸν, *Morale A B C. Græcolatinum, cum eiusdem H. Vuolfij explicatione.*

V. *Epistola Matthiæ Schenckij, cum eiusdem epitaphijs.*



AD IOANNEM SCHENCKIVM, CELEBREM MEDICINAE DOctorem: Norimbergensem Physicum,

HIERONYMI VVOLFII in Tabulæ philosophicæ explicationem,

PRAEFATIO.



VPER inter chartas meas, affinis obseruande, reperi annotationes in tabulam Guilhelmi Morellij philosophicam, à me annis abhinc uiginti auditoribus meis (inter quos & te fuisse arbitror) dictatas. Quas cum eo tempore describẽdas curassẽ: pater tuus, Matthias Schẽckius, collega meus (de quo nihil aliud dicã, nisi ueterẽ Græcũ uersum,

paululum immutatum: esse complu res, qui:

Ζωὸν βασκήναντες, ἀποφθίμενον ποθέουσι:

& alterum Latinum:

Pascitur in uiuis Liuor, post fata quiescit.

Ita uirtus & eruditio tandem laude merita ornatur.) Is igitur, nescio quo consilio, à me petebat, eum sibi libellum ut donarem. Quòd facilè, pro necessitudine nostra, impetrauit: pręsertim, cum putarem, eum & ea quæ ego breuiter notassem, uberius tractaturum: & ea etiam, quæ tabulæ huius autor omisisset, additurum. Nam ego tunc de editione non magis cogitabã: quàm nunc de Byzantio Christianis recuperando. Cæterum, cum eum Deus 21 Iulij, anni 1571, cephalalgia, quam Vngaricã uocant, laborantem, ut & hic & alibi complures claros uiros, ex hac mortali uita & misera, in beatam & æter

nam,

nam, euocasset: post obitum eius, hęredes, illis meis annotationibus inscriptum repererũt: ME MORTVO, HIER. VVOLFIO, AFFINI, REDDANTVR. Recepi, sepoſui, & commiſcui cum plurimis alijs meis nugis: quas intra annos 46, partim in Academijs annotaram: partim è libris alienis excerpſeram: partim ipſe chartis illeuerã, nec editas, nec (mea quidem uoluntate) me uel uiuo uel mortuo edendas: nõ quòd publicæ utilitati inuideam (quam utinam augere potuissem: ſtudui certè prodeſſe multis, tot & tantis uoluminibus, toties prælo ſubiectis) ſi quid utile ineſſet: ſed quòd eſt illa rudis indigeſtáq; moles: & hoc tempore, utriuſque linguæ Theſauri eiuſmodi, tot omnium bonarum artium methodi, accuratè ornatéq; conſcriptæ, extant: unde longè & facilius & feli-

licius, uelut è copiæ cornu, multò & plura & meliora peti poſsint. Sed cum M. Ioannes Plancomarius, affinis noſter, & collega meus, apud me cœnãs, me illam ipſam tabulam uerſantem uidiſſet: egoq́ue dixiſſem, hæreditario tibi iure illam deberi: non multò pòſt is mihi ſignificauit, munuſculum id (ſi tamen ſic appellandum eſt) humanitati tuæ, meiq́ue ſtudio, nõ fore ingratum: relegi totum opuſculum, & emendaui, ut potui: &, propter argumẽti ſimilitudinem, libellum Hermiæ, neſcio cuius, eruditi certè & diſerti hominis, Græcolatinum adieci, cum explicatione mea. Quibus à typographo (ſi quẽ fortè nactus fueris, qui uelit imprimere: uel potius, ſi tu eos non opprimendos iudicaris) addi uelim propter argumenti ſimilitudinem, Deſiderij Iacotij ſcriptum, è Cicerone

colle-

collectum, de doctrina philoso- phorum. Hæcenim opuscula (nisi fallor) & doctos eorum, quæ olim legerunt, recordantes, delectabunt, & studiosos multis de rebus dili- gentius ut cogitent, admonebunt. Etsi autem non ignoro, Momos fo- re complures, qui me & arrogantiæ & temeritatis damnaturi sint: qui de tam uarijs opinionibus pronuncia- re non dubitarim: tamen illos sci- uolo, me eosdem eôdem crimine cõ dẽnaturũ. Qui' enim magis illis de me sententiã ferre licet, q̃ mihi de a- lijs? Annũ ago ætatis secundũ & se- xagesimũ: & quanq̃ Musas parũ ꝓ picias & gratas habui (quarũ natu- ra fui amãtissim⁹) nec uel puero uel adolescẽti satis cõmoda & iusta cõ- tigit institutio. (Nã ab año ætatis 15, nũc aulicã, nũc scholasticã seruitutẽ seruio, uix unius atq; alteri⁹ añi liber

tate usus: qui & ipsi tum morbis, tum aliis incōmodis interpellati fuerunt) nunquam tamen à studiis optimarum artium recessi: & sitim legendi clarissimos quosque & Græcos & Latinos, in omni disciplinarum genere, autores, nocturno tempore restinxi (id quod Bibliotheca olim mea, nunc Lauingani gymnasii, testari potest: quam binæ quadrigæ uix ceperunt) non magno fortasse ualetudinis commodo: sed non sine doctrinæ aliqua accessione: haudquaquam tamen tanta, quantam, si diutius uiuis fuissem usus præceptoribus, parare licuisset. Nec tamen hi quoque (sed extra scholas) mihi defuerunt. Nam inter alias complures fortunæ aduersationes, hoc tamē boni contigit, ut magnorū uirorū consuetudine subinde uterer. Vixi cū celeberrimis Theologis, Iuriscōsultis, Me-

Medicis, Philosophis, hominib. po-
liticis, proceribus, aulicis: eorumq;
sententias plurimis de rebus man-
daui memoriæ. Et quia iuuen-
tus mea uarijs mutationibus obno-
xia fuit: & uix tandem hoc in loco
demum, sub annum ætatis trigesi-
mum quintum, constitit: in crebris i-
tineribus, quæ pleraq; pedes confe
ci, & Centaurorum, & opificum, &
militum, & nautarum, & rusticorũ
mores atq; opiniones accuratè obser
uaui. Quibus rebus si nihil iudicij ac
quisiui: me omnium mortalium infe
licissimum quis non iudicet? Nam
ingenium quidem meum, quàm sit
tenue, non ignoro: de quo tamen ui-
ri docti, ab ineunte ætate mea, nescio
quid augurati sunt. Quos utinam
expectatio sua non fefellisset: neque
fortasse fefellit penitus. Sunt in prõ-
ptu lucubrationes meæ complures:

exq́ eiusmodi, ut figlinam non ab urceolis, sed à dolijs, Isocrate, & Demosthene, fuerim auspicatus. His alij successere magnitudine partim pares, partim non multò minores: Byzantina historia, & Suidæ historica (etsi mendosè admodum edita) quorum patroni, absumpto patrimoniolo, peculium meum constituerunt: Epictetus item, commentarioli Ciceroniani, Gnomologia Isocratica & Demosthenica: ut cætera taceam, quibus alij gloriaturi essent, cum ea ego ne commemoranda quidem existimem. Neq; enim in mustaceo laureolam quæro. Quæ omnia si nō ita elaborata sunt, ut decuit: primis præsertim editionib. (συγγνώμη δὲ πρωτοπείρῳ) ea tamē lima accessit postea: ut (ni arrogans esset) dicere aliquis illud posset, quod Apelli tribuitur: μωμήσεταί τις ῥᾷον ἢ μιμήσεται. Neq; enim

nim uidi hactenus luculentiorem uel Demosthenis, uel Isocratis, uel Epicteti (Nam hi autores plurimum ceræ absumpserunt) interpretationem: quamuis iandiu nescio qui montes parturierint. Sed ut ad institutum redeam: illud etiam impij quidam philosophastri, [redacted]n me reprehendunt, quod sacra profanis miscuerimus: quasi uerò, sine censura Theologiæ, philosophia quicquam aliud sit, quàm prodigiosarum opinionum irremeabilis, etiam Ariadnæ filo adhibito, Labyrinthus? aut quicquã firma fide saluáq; conscientia teneri posit, quod à sacrarum literarum euidenti autoritate abhorreat? Erunt etiam, qui non omnia esse à me exposita querantur. Ego uerò licere & mihi, & cuiuis alteri, de obscuris sententijs & opinio

nibus

nibus ἐπέχειν καὶ διασκέπτεσθαι: eóque magis, quód quædam ignorare inter Grammatici uirtutes numerat Quintilianus. Cæterùm censores isti, si & ingenijs & doctrina tãtum omnibus antecellunt: debebant ea, [redacted] fugerunt aut fefellerunt, [redacted]agitare(si boni uiri essent) sed emendare & com[redacted] itáne Vuolfius à suis illis dolijs ad urceolos, hoc est, ab equis ad asinos? Quos ego sanè asinos Antronios existimo, si precia librorum non doctrina, sed numero foliorum metiantur, eis'que hoc disticho responsum uolo:

Corporea de mole bouem censete: libellos
Commendat breuitas ingeniosa magis.

Atque adeó, si, ut uirès atque alacritas corporis, exacta ætate, minuuntur, ita etiam ingenijs aliquid decedit: senilia scripta iuuenilibus aliquan-

quantò infirmiora eſſe, quis, huma⸗
næ conditionis memor, non uenia
dignum id eſſe cenſeat? Et tamen ue
nulas haſce ex eodem ingenij fonti⸗
culo ductas eſſe, apparebit opinor.
Sed neglectis cauillatoribus, ad in⸗
ſtitutum redeo. Quia cum tabula
philoſophica etiam ſcholaſticum
προγύμνασμα quoddam deprehendi,
in aliquot Ciceronis ſententijs: id
quoque relegere eò minus ſum gra
uatus: quòd recordor, cùm diſcipu⸗
lis, tum magiſtris nonnullis eam do⸗
cendi methodum & probatam fuiſ⸗
ſe & utilem. Aſciuit autem illud ſi⸗
bi comitē Alphabetum morale Gre
gorij Nazanzeni: non pueris modò
ediſcendum, ſed uiris etiam & ſeni⸗
bus quotidiè repetendum. Quæ (ſi
uidebitur) lacotio ſubijcienda cu⸗
rabis. Libelli hi, mi affinis, tui ſun⸗
to, qualecunque uoluntatis erga te
meæ

meæ pignus & monimentum: quãn do in fatis non fuit (mei certè arbitrij non fuit) ut ab amplißimo senatu ue stro ad Altorpianum gymnasium re gendum, non aspernandis conditio nibus, uocatus, fratris & tua consue= tudine, propter locorum uicinitatẽ, sæpius frui possem. Mitto etiam uitã parentis tui, ab ipso descriptam: Ad= didissem libenter Constantiæ queri moniam, cygneam omnino cantio= nem: qua ego cum commiseratione quadam non mediocriter sum dele= ctatus: nec offensum iri quenquam existimaui, modestißima præser= tim, senis patriæ amantißimi. Quis enim iusto dolori non daret ueni= am? & historica narratio dißimula= re non finit ea, quæ luce meridiana clariora: & lippis (quod aiunt) & tonsorib. nota sunt. Sed & pruden tißimi cuiusdam uiri monitu, & ex= emplis

emplis recentibus admonitus ſecu- ritati noſtræ potius, quàm defuncti gloriæ conſulendum exiſtimaui. Qui quantum præſtare potuiſſet, ſi famæ quàm ſcholæ & rei familiari conſulere maluiſſet: una illa ratione ſatis demonſtrauit. Cætera, te au- tore, publicè legi: à pietate & ex- iſtimatiõne tua nõn erit alienum. V- num admonendũ reſtat, me & Mo relij & Chytræi tabulam, propter tur batam ſucceſsionum ſeriem utranq; minus attentis obſcuram, & ob com plicandi & explicandi incommodi- tatem, ordine deſcriptam, mittere, unà adiuncta utraque, uti impreſſæ ſunt, ut uel ſeorſim excudantur, uel libellis inſerantur: prout prudentiæ tuæ, & typographo commodum ui debitur. Vale cum uxore & liberis iucundiſsimis: quos unà tecum De-

us

iis tueatur incolumes & florentes: Augustæ uindelicorum: idibus Ianuarij. Anno à salutifero uirginis partu. M. D. LXXVIII.

1. PLATO, natus A.M.3538. Hic uetere Academiam instituit. Laërt.lib.1. Obijt 3619. Eius discipuli. 1. Xenocrates Chalcedonius Academicus, qui Speusippo in schola successit. Hunc secuti Polemon Atheniēsis, Crantor Solensis, cuius liber de luctu passim à Cicerone laudatur. Laërt.lib.4. Crates, Atheniensis. Diog.Laërt.lib.4. Hos audiuit Arcesilas, uel Arcesilaus, Pitanæus, mediæ Academiæ author: floruit Olymp.120. Laërt.lib.4. Hunc secutus Lacydes Cyrenæus nouæ Academiæ inuentor. Cic. in Lucullo. Euander. Egesinus. Carneades eloquentissimus, A.V. 599. Romæ legatus fuit 90 annos uixit. Clitomachus Carthaginensis: in quo non minus ingenij, quàm in Carneade eloquentiæ, ad summam usque senectam cum Carneade uixit. PHILO, præceptor Ciceronis. Romæ. A.V. 665. Cicero natus 3. Non. Ian. A.V. 648. Consul ante natum Christum, anno 60. Interfectus est anno 40 ante natum Christū. Heraclides Tyrius. Antiochus Ascalonita. Hic cùm primò Philonem, nouæ Academiæ patronum audiuisset: eius dogmate repudiato, Peripateticis se coniunxit. Docuit, uirtutem beatum, nō beatissimum reddere. Aristo huius Antiochi frater. Brutus. Cicero

b hunc

huncin Asiam proficiscens, Athenis audiuit: annum agens 28. Cratippus filij Ciceronis præceptor. Lucullus.

Metrodorus Stratoniceus. Metrodorus Rhodius.

2 Aristoteles. Diog. Laërtius libro 5: Peripateticorum princeps. Hunc secuti Theophrastus Eresius, cui successit Demetrius Phalereus, Atticæ Reipub. princeps, auditor Theophrasti, & Strato Lampsacenus Physicus, Ptolemæi Philadelphi præceptor. Lycon Troadensis, Stratonis successor, 42 annos scholæ præfuit. Lysias Stratonis auditor.

** Aristoteles. libro 5. de Finibus. Hieronymus Rhodius, qui summum bonum statuit uacuitatem doloris. Critolaus Romæ legatus cum Carneade. Lanx Critolai. Tuscul. 5. Diodorus, qui ad honestatem, uacuitatem doloris adiunxit. Callipho, & hic uirtuti uacuitatem doloris adiunxit.*

Heraclides Ponticus. Aristoxenus Musicus, Tarentinus. Dicæarchus Messenius, Siculus.

3 Speusippus ex sorore Platonis natus.

II. XENOPHON Historicus.

III. ANTISTHENES Athenien-

sis

sis, Cynicus. Laërtius libro 6. Hunc secutus est Diogenes Sinopeus Cynicus, tempore Alexandri Magni. Crates Thebanus. Zeno Citieus, Stoicæ sectæ princeps: Polemonis etiam auditor. Diog. Laërtius libro 7. Huius discipuli, Perseus Citieus, Cleanthes Assius. Laërtius libro 7. Successit Chrysippus Tarsensis, uel Solensis. acutissimè plurima scripsit. Diogenes Babylonius Stoicus, Legatus Romæ cum Carneade, & Critolao. A. V. 599. Antipater, Panætius Rhodius, Scipioni, & Lælio familiaris, σύγχρονος Polybij. Possidonius Rhodi docuit, ubi eum Cicero audiuit: & postea inuisit Pompeius. Tuscul. 2. Asclepiodorus. Dionysius Heracleotes, Metathemenos dictus. Aristo Chius, qui ἀδιαφορίαν induxit. Heryllus Chalcedonius, qui finem dixit Scientiam.

IIII. Aeschines Athenienfis.

V. Euclides Megarensis. Stilpon, Eubulides. Alexinus Eliensis. Ab his ἐριστικοὶ, quos Zeno secutus est: qui Stilponem quoque audiuisse putatur.

VI. Phædon Eliensis.

VII. Crito Atheniensis.

VIII. Cebes Thebanus.

IX. Aristippus, Socratis auditor. Laërt. lib.2. apud Dionysium, Siciliæ regem, eodem tempore, quo Plato uixit. Discipuli Ptolemæus, Aethiops. Antipater Cyrenæus. Paræbates. Anniceris, à quo Anniceriani, uirtutes etiam colendas docuerũt. Hegesias, à quo Hegesiani: qui omnibus uirtutibus uoluptates corporis prætulerunt. Arete, filia. Aristippus μητροδίδακτος. Theodorus, ἄθεος, familiaris Ptolemæi Lagi. Ex huius libris Epicurus multa sumpsisse putatur.

ITALICAE PHILOSOPHIAE Autores, & eorum series.

1. *Pherecydes*
2. *Pythagoras.*
3. *Telauges filius*
4. *Xenophanes*
5. *Parmenides*
6. *Zeno Eleates.*
7. *Leucippus.*
8. *Democritus & alij complures, sed inter reliquos, Nausiphanes, Nausidesq́ celebrantur.*
9. *His suo ordine successit Epicurus.*

ITALICAE PHILOSOPHIAE antiſtites, à Pythagora orti.

Pittacus. Pherecydes Scyrius, illius auditor. Pythagoras Samius, in Aegypto eruditus, qui primus ſe philoſophum appellauit: cùm cæteri ſapientes dicerentur. Floruit in extrema Italiæ ora, Crotone, & Tarenti: tempore Cyri, Cambyſis, & Darij Hyſtaſpis F. cuius anno 26 obijt. Huius diſcipuli fuerunt: Telauges filius, patri in ſchola ſucceßit. Philolaus, à quo Plato libros Pythagoricos emit. Alcmæon Crotoniates. Hippaſus. Lyſis Epaminondæ præceptor. Epaminondas. Empedocles Agrigentinus Phyſicus. Epicharmus Siculus. Archytas Tarentinus. Eudoxus Aſtronomus, Platonis amicus. Xenophanes Colophonius, σύγχρονος Pythagoræ & Anaximandri. Heraclitus Epheſius: ad quem Darij Hyſtaſpis F. Epiſtolæ extant. Laërtius lib. 9.

Parmenides Eleates, Phyſica conſcripſit carmine. Zeno Eleates, primus ex Atomis mundum compoſuit. Democritus Mileſius tempore Xerxis, & Artaxerxis Longimani floruit. Obijt anno ætatis 109.

Metrodorus Chius, initio libri de natura, inquit: Nego ſcire nos, ſciamus ne aliquid, an nihil ſciamus: ne id ipſum quidem neſcire, aut ſcire nos: nec omnino, ſit ne aliquid, an nihil ſit. Anaxarchus, Alexandro Magno familiaris. Pyrrho Elienſis, cuius fuit dogma. Omnia pariter eſſe incerta: nec quicquam turpe, aut honeſtum, iuſtum, aut iniuſtum uerè eſſe, ſed lege, & conſuetudine docuit. Ab hoc σκεπτικοὶ καὶ ἐφεκτικοὶ, Timon Phliaſius, Sillorum ſcriptor, Ptolemæo Philadelpho familiaris. Cui Xanthi filius ſucceßit. Auditores Timonis: Euphranor. Seleucius Cyprius. Heraclides, Leucippus. Dioſcorides. Eubulus, Aeneſidemus Gnoſius, qui octo libros Pyrrhoniarum rationum ſcripſit. Praylus. Ptolemæus Cyrenæus. Zeuxis. Prodicus Ceius. Protagoras Abderita.

ITALICA PHILOSOPHIA IN EPICVRVM deſinit.

Epicurus Athenienſis, natus ſeptimo Ianuarij, ſeptimo anno poſt mortem Platonis. Obijt anno ſeptimo Ptolemæi Philadelphi.

ladelphi. Huius discipuli illustres: Metrodorus Atheniensis, Timocrates, Polyænus, Idomeneus, Lampsaceni. Successor Epicuri in schola fuit Hermachus Mitylenæus. Polystratus, Dionysius, Basilides. Zeno, Phædrus. Quos duos Epicureos Cicero & Atticus audiuerunt.

HIERONYMI VVOLFII IN TABVLAM G. MORELLII Tiliani Philosophicam annotationes.



VM omnia studia literarum ad partem aliquam philosophiæ referantur: in primis uerò doctrina morum, in qua explicanda, delectis Ciceronis de officijs libris, nunc uersamur: turpe fuerit homini studioso, eius originem, uim, atq; autoritatem ignorare Etsi autem illa à Diogene Laërtio, Plutarcho, Sexto Empirico, atque alijs compluribus, ut copiosius, ita etiam dilucidius describuntur (qui autores diligenter legendi sunt) tamen hæc tabula, & intelligentiæ & memoriæ, propter certam temporum & sectarum distinctionem percommoda est.

I.

Philosophiæ originem mentis humanæ industriæ, acceptam esse referendam, non ignoratur: Quicquid enim ratione humana inuestigatur ac deprehenditur: rectè philosophicum dici potest. Nomen autem philosophiæ ad Pythagoram autorem refertur, ante quem uiri studiosi & eruditi, non φιλόσοφοι, sed uel σοφιςαὶ, uel σοφοὶ, arroganti sanè uocabulo dicebantur: cum reuera solus Deus sit sapiens, ut & bonus: idemq́ unicus ueræ uirtutis & sapientiæ largitor. Itaque preces meæ quotidianæ & suspiria sunt:


Da, PATER, ut fiam sapiens, bonus atque beatus.
Quæ nisi tu dederis munera, nemo dabit.

II.

Philosophiæ definitio etsi apud Ciceronem præclara extat: tamen & hæc Clementis Alexandrini non est contemnenda: ἡ θεοσέβεια τέλος, *inquit*, ἐςὶ, καθὸ καὶ μόνον ἐπάναγκές ἐςι ζῆν, ἵνα ζήσωμεν ἀεί. φιλοσοφίας δὲ (ἤ φασιν οἱ πρεσβύτεροι) πολὺς χρόνιός ἐςι συμβαλὴ, σοφίας ἀΐδιον μνηςευομένη ἔρωτα.

Hoc dicto Religio prudenter à philosophia sepa-

ſeparatu[redacted] *Relinquit tamen egregiam philoſophiæ laudem, cum eam perpetuam uitæ humanæ conſultricem facit, eiq; omnium rerum, quæ extra religionem ſunt, inueſtigationem atq; inuentionem aſſignat. Sed iam ad explicationem ipſius tabulæ ueniamus, & quatenus quæq; opinio uel probanda uel improbanda eſſe uideatur, pari & uerecundia & libertate exponamus. Multa enim nos non intelligere, fateri non erubeſcemus: & quæ ſacrarum literarum autoritati repugnant, improbare non dubitabimus. In quo ſæpè miræ riſoleo quorundam moroſitatémne dicam, an impietatem? qui uel in philoſophia Theologiæ, uel theologiæ in Philoſophia mentionem fieri ullam, non aliud eſſe, quàm cœlum terræ miſcere, clamitent. Qui ſi cogitarent & intelligerent,* [redacted] *profectò aut ad diuinitus*



[redacted] ros fuerunt.

HOc, tametsi negat Laertius, studio suæ gentis utique, quæ Græcos non inuentores omnium artium, sed etiam primos homines extitisse affirmabat: tamen nemini, sacrarum literarum historiarúmque perito, dubium est. Videntur tamen Græci ea quæ à Barbaris acceperant, excoluisse, auxisse, digessisse, ac pleraque fecisse meliora, multa etiam corrupisse fabularum inuolucris, unde hominum uulgus infinitis erroribus est impletum. Mendacia autem pleraque ex Aegypto in Græciam transtulisse Orpheum censet Siculus Diodorus. Quòd si Græci Barbaris posteriores sunt in studio sapientiæ: quid de Latinis dicemus? [redacted] subtiliorem doctrinam [redacted] æcis acceptam referant, [redacted] necesse est [redacted]

Primi

Primi sapientes apud Barbaros fuerunt, Magi apud Persas, quorum princeps Zoroastres, qui Deorum cultibus & diuinationibus studebant: hæc docuisse feruntur.

MAGI.

Non significat impostores hoc uocabulum, qui diabolicis (ut è Mose probari potest: à quo præstigiæ Magorum Aegyptiorum diuina miracula frustra imitantium, describuntur) præstigiis illudunt atque insultant hominibus: sed uiros sapientes, & arcanorum naturæ conscios. Maxima fuit horum apud regem & populum autoritas, ut grauissimarum deliberationum consiliis adhiberentur. Postea hæc (ut omnia corrumpi solent) in θεουργίαν nescio quam, & νεκυομαντείαν degenerarunt.

ZOROASTRES.

Hunc quidam Chamum, Noæ F. fuisse censent: multò antiquiorem illo Bactrianorum rege, quem Cyrus deuicisse traditur.

Duo

Duo principia esse. Bonum dæmonem & malum: Bonum, Iouem esse & Oromasden dici: Malum, Plutonem, quem nominabant Arimanium.

SAcræ literæ statuunt unum esse autorem uniuersitatis rerum & conseruatorem Deum. Sed humana ratio, tantam perturbationem, & tot calamitates, à Deo optimo, sapientißimo, potentißimo, aut proficisci aut tolerari miratur, ac Deum, adiuncto paris potentiæ aduersario, imbecillitatis quasi arguit, aut certè ambigua & anceps hæret, aut etiam in Epicureum delirium incidit, quod hoc uersu exprimitur:

Ludit in humanis diuina potētia rebus.

Ludum & iocum esse uirtutem, sapientiam, religiones, potentiam, cæteraq́ quæ maximi fiunt, innuunt hæc uerba, nec Deum seriò curare res humanas. Quæ opinio impia est, & detestanda, reiectaq́ ab Ecclesia, quæ Manichæos duo principia, alterum bonum, alterū malum, statuentes, condemnauit. Occurrit autem ingeniosis hominibus perpetuò hæc cogitatio: quæ in Boetij consolatione extat.

Quis mala, si Deus est? si nō est, qs bona fecit?

Sacræ

Sacræ literæ respondent, Angelos superbia elatos atq; libertate uoluntatis suæ abu- [redacted] *los & homines ita fuisse cond* [redacted] *labi ac deprauari neq; possent neq; uellent. Verùm hæc insaniæ sunt & furoris, ingerere sese in arcana maiestatis diuinæ, quæ sapientissimè omnia moderatur, tametsi nos causam, finem & modum diuinæ administrationis minimè capiamus. Reijciatur ergò Oromasda, id est, bonus dæmon seu lumen sanctum, & illius loco statuatur autor omnium rerum Deus. Qui, cur diabolos & homines ita grassari patiatur, cum nutu (quod aiũt) utrosq; coercere et ad nihilũ redigere posset: ipse solus nouit, nobis uerò nosse non est concessum, quia scitu non est necessarium. Illud necessarium est, quemadmodum Deus nos hic uiuere uelit, ut beatæ immortalitatis compotes fiamus. Cuius rei duæ rationes sunt, ut sæpè iam dictum, nec tamẽ satis unquam inculcari potest, θεογνωσία τε καὶ θεοσέβεια, id est Dei cognitio & cultus, &, φιλανθρωπία καὶ φιλαδελφία. Hæc enim summa legis est*

&

& prophetarum: Deum amandum esse super omnia: & alterum, sicut nosmetipsos; [redacted]

Oromasdam.

Id est, lumen sanctum. Dicitur Deus in sacris quoq; literis Lux, sicut diabolus tenebræ. Sed cum Persæ Solem, quem μίθρων appellabant, coluerint: probabile est, Solem eos & Lunam per id lumen intellexisse.

Iouem esse.

Cum unus sit Deus, non opus est illi nomine. Sed cum ueteres ætherem Deum statuerent. ζῆνα παρὰ τὸ ζεῖν à feruore, qui ex agitatione orbium cœlestium existat, dixerunt, unde etiam αἰθέρα παρὰ τὸ αἴθειν, id est, ab ardore dictum putant. Alij uerò παρὰ τὸ ἀεὶ θεῖν, id est, à perpetuo cursu, ut & θεοὺς ipsos. Alij ζῆνα παρὰ τὸ ζῆν dici putant, quasi uitæ autorem & conseruatorem, ut scribit Xenophon: ὅτι ὁ θεὸς σοφός ἐστι καὶ φιλόζωος δημιουργὸς, id est, Deum esse sapientem & animantium amantem opificem.

Ari-

Arimanium.

Si Persicum uocabulum est, fateor me ignorare quid propriè significet. Sin Græcum, fit παρὰ τὴν μανίαν τοῦ ἄρεως à furore Martis, perniciosissimi planetæ, & uastatoris earum rerum, quas Iupiter benignissimus construit.

Homines semper futuros & eos immortales.

De origine hominũ posteà nonnihil sequitur. Sed eorum immortalitas cum sacris literis consentit, nisi quòd τῆς δικαιοκρισίας τοῦ θεοῦ, hoc est, iusti iudicij Dei & discriminis bonorum & malorum nulla fit mentio. Est igitur hæc doctrina ἐλλιπὴς καὶ ἀσαφὴς, nec perfecta, nec satis perspicua.

Omnia suis influxionibus mansura esse.

Erratũ interpretis est aut certè mendum codicis. Græca sic habent, aut habere debent, πάντα ταῖς αὐτῶν ἐπικλήσεσι διαμένειν, omnia suis inuocationibus, id est, precibus et cultu Dei permanere, id est, cõseruari, salua esse, atq; ab interitu uindicari. Multũ illi tribuerũt suis sacrificiis: etsi sacræ quoq; literæ docent, pieta-

pietatis studium, potissimam esse felicitatis humanæ causam: Deum benè uelle pijs, atq; adesse: impios autem auersari & perdere. Si quis uerò legere mauult ταῖς αὐτῶν ἐπικλύσεσι διαμενεῖν: dura omninò est & coacta sententia, quòd ἐπίκλυσις inundationem potius significat, quàm arcanam uim à syderibus profluentem. Sed si ita legetur, sensus erit: Res omnes incolumes futuras ea ui & facultate, quam à syderibus initiò impressam acceperint. Atq; hæc de speciebus & propagatione, non de indiuiduis (ut loquuntur Dialectici) sunt intelligenda. Bucephalus moritur, sed genus equinum propagatur, atq; incolume manet.

Deos genitos esse.

Cum Dÿ ab Ethnicis etiam statuantur immortales: absurdum est eis tribuere ortũ. Quia quicquid ortum est, ordine naturæ etiam interit: cohærentq; γένεσις καὶ φθορά. Plato quidem ait, Deos iuniores (sic autem appellat genios siue angelos) suapte natura morti esse obnoxios: sed Dei uoluntate fore immortales, Sic sentiunt etiam sacræ literæ & de angelis, & de humanis animis. Ac Plato quidem Diis suis iunioribus hominis creationem

tionẽ aſcribit, ne mori non poſsit, ſi ipſius Dei Opt. Maximi opus fuiſſe dicatur. Ariſtoteles aũt & mũdum, & ea quæ mũdo cõtinentur animalia, æterna facit, ne ſcilicet ullo tẽpore Deũ dicat fuiſſe ocioſum. Sed D. Auguſtinus, niſi fallor, cuidam curioſe ſciſcitãti, q̃d Deus ante cõditum mũdum egiſſet, ſalsè reſpõdit, cogitaſſe de creando inferno, ubi ille cæteriq; impij & curioſi inueſtigatores arcanorũ eius torquerẽtur. Sed locuti ſunt illi ſcilicet de ficticijs ſuis Diis, quos aut Reges aut tyrannos, aut ſapientes homines fuiſſe conſtat, ut eorum templa teſtantur, quæ nihil aliud niſi ſepulchra fuerũt magnificentius extructa.

Initium rerum eſſe Materiam. Deinde ex ea diſgregari, animaliaq; tandem perfici.

Cum duo principia ſtatuerint, aut materiam ab illis eſſe factam, aut ſi ſemper fuit, tertium principium eam adiungere, neceſſe habuerunt. Eſt autem materia id, è quo aliquid primum fit, & in quod poſtremò reſoluitur, ut corpora animalium, quæ ut ex elementis conſtant, ita in eadem reſoluuntur. Fecerunt autem duplicem materiam, unam quam primam appellarunt, (cum hac con-

ſentiūt atomi Democriti) è qua ipſa elementa extiterint, & ſecundum, hoc eſt, ipſa elementa, unde reliqua omnia exiſtant. Hac de re conſulatur Rodolphi Agricolæ liber primus de Inuentione, capite de Materia.

Materiam.

Prima materia chaos quoddam eſt, id eſt, omnium rerum in unam quandam maſſam confuſio, quod ab Ouidio eleganter deſcribitur, his uerbis:

Ante mare & terras, & q̄d tegit oīa cælum,
Vnus erat toto naturæ uultus in orbe
Quē dixere Chaos, rudis indigeſtaq; moles,
Nec qcquā niſi pondus iners cōgeſtaq; eodem
Non benè iunctarū diſcordia ſemina rerum.

Et paulò pòſt:

——nulli ſua forma manebat,
Obſtabatq; alijs aliud, quia corpore in uno
Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis,
Mollia cū duris, ſine pondere habētia pōdus.
Hanc Deus & melior litem natura diremit.

In hac ſententia fuit Anaxagoras, qui τῇ ἀμόρφῳ ὕλῃ συνέζευξε νοῦν τὸν διακοσμοῦντα, *id eſt, materiæ informi coniunxit mentem gubernatricem. Epicuri ac potius Leucippi & Democriti opinio à Virgilio his uerſibus deſcribitur.*

Nanq;

Nanq; canebat uti magnũ per inane coacta
Semina terrarũq;, animaq; marisq; fuissent
Et liquidi simul ignis: ut his exordia primis
Omnia, & ipse tener mundi cõcreuerit orbis.

Sacræ literæ autem docent, Deum initiò condidisse cælum & terram. Ergo ipsa quoq; materia Dei creatura est, & non coæterna Deo. Nec desunt, qui apud Mosem, abyssi tenebras τὴν ἄμορφον ὕλην καὶ τὸ χάος, à Deo tamen conditum intelligant.

Animaliaq; tandem perfici.

Veterum opinio fuit, etiam homines ex uligine & calore Solis formatos fuisse, ut scribit Diodorus Siculus lib.1 sed sacræ literæ docent, hominem ex limo ab ipso Deo formatũ esse ad diuinam imaginem: cætera uerò animalia in terra, mari & aere iussu Dei extitisse. Corpora quidem animalium qualitatibus quatuor elementorum constare, in easq; resolui, plerią; sentiunt: ut calor uitalis igni, spiritus aeri, sanguis cæteriq; humores aquæ, cutis, carnes, nerui, ossa & reliqua, terræ comparentur.

Deos esse Solem & Lunam, id est, Osirin & Isin.

Nullis idololatris magis ignoscendum esse

uidetur, quàm ijs qui Solem, Lunam, stellas (quæ cœli militia in sacris literis dici creditur) coluerunt, propter admirabilem splēdorem, magnitudinem, celeritatē, uim atq; efficaciam cœlestium corporū. Sed nos sacræ literæ docent, hæc nō esse Deos, sed res à Deo conditas. Quare D. Paulus grauiter obiurgat eos, qui τὴν κτίσιν παρὰ τὸν κτίσαντα, id est, res cōditas neglecto conditore sint uenerati.

Osirin & Isin.

Osiris rex Aegypti potentissimus & beneficētissimus fuit. Isis uerò eius soror & cōiux; quibus & agriculturæ & uini inuētio ascribitur. Vnde sunt qui eosdem esse putent cum Baccho & Cerere. Sed de his consulatur Diodori Siculi liber primus, & Plutarchus in opusculo de Osiride & Iside. Illud tamen adolescentibus tenēdum est, syderibus ob acceptorum beneficiorum memoriam indita esse ueterum regum & principum nomina.

Mundum genitum esse, eundemq; rotundum.

Hoc etiam sacræ literæ testantur, & D. Petrus δι᾽ ἐκπυρώσεως interiturū & igni conflagraturum scribit: sic tamen, ut non sit abolendus, sed renouandus. Cicero autem & alij totum

totum Mundum nec ortum esse unquam, neque periturum cẽsent: sed partes eius aliquas propter exustiones eluuionesq; terrarum interire, ut de Atlantide insula scribit Plato, & nostra ætas in Selandia uidit.

Eundemq; rotundum.

Assentiuntur mathematici. Qua de re consulatur libellus sphæricus.

Stellas ignem esse & ex earum temperie omnia gigni.

Ignita quidem specie nobis apparent. Sed ut igneæ sint, nõ uidetur ignis ille crassus esse & uastator rerum, ut noster hic elemẽtaris, sed purissimus & uiuificus.

Ex earum temperie.

Habent enim aliæ stellæ (ut ab Astrologis obseruatum est) uim calefaciendi, aliæ frigefaciendi, aliæ desiccandi, aliæ humectandi, aliæ salutares in aerem & terram radios spargunt, aliæ uim perniciosam elementis, &, quæ inde constant, corporibus animantium infundunt. Vnde reciprocus ortus & interitus rerum quæ infra lunam sunt, certis & perpetuis uicibus existit.

Omnia gigni.

Hoc affirmãt Astrologi, & Aristoteles ait, res inferiores uim suam & motum accipere à cœlestibus corporibus, nec id doctiores Theologi negant: ijdemq́; concedunt, è syderum positu multa futura in elemẽtis & animantiũ corporibus diuinari posse: non tamen omnia, cùm ob retusam humani ingenij aciem, & artem minus absolutè cognitam, tum ob liberrimam Dei actionem, siderum significationes suo arbitratu, ex utilitate piorum hominũ, moderantis, atq; etiam propter libertatem humanæ uoluntatis & fluxam atq; instabilem materiæ naturam. Sed hæc alibi commodius.

Deos esse ignem, terram & aquam.

Saniores philosophi nõ Deos, sed elementa hæc dicũt, nec excludũt aerem. Poetæ uerò, ob uim mirabilem, oẽs propemodum res cõditas pro sua licẽtia in Deos transformarũt. Hinc illis æther est Iupiter, Iuno aer, Vulcanus ignis, Ceres terra, Neptunus mare, Pluto siue Dis infernus, Apollo Sol, Diana Luna, alia deniq; infinita. In sacris uerò literis Deus & ignis cõsumẽs figuratè dicitur, ut & angeli eius ministri, flãma ignis: & spiritus: ut intelligatur

ligatur, ab omni concretione mortali ſeparatus. Suam uerò naturam Deus ſolus uerè nouit: quã extra & ſupra ea quæ ſacris literis ꝑdita ſunt, indagare uelle, inſaniæ eſt: cũ noſtrã ipſorũ naturam non ſatis cognoſcamus.

Deorum alios mares, alios fœminas eſſe.

Erratũ aut interpretis eſt aut librarij, addendaq́ negatio. Græca enim ſic habẽt apud Laertiũ τῶν ἢ ξοάνων καταγινώσκειν, καὶ μάλιστα τῶν λεγόντων, ἄῤῥενας εἶναι θεοὺς καὶ θηλείας *hoc eſt, Magi maximè condemnant & ſimulacra, & eos, qui dicunt, Deorũ alios eſſe mares, alios fœminas. Rectè illi quidẽ. Nam immortalibus propagatione ſpeciei nõ eſt opus, qua ſublata, ſuperuacanea eſt etiã ſexus diſtinctio. Aſtrologi uerò planetas alios maſculinos faciunt, alios fœmininos, nõ quòd re uera tales ſint (Simplicia enim corpora omnib. carere qualitatib.) ſed qđ talẽ uim elemẽtis & animantiũ corporibus infundãt, & ſi id ipſum quoq; mirum eſt (in reb. terrenis quidẽ: nã cœleſtium eſt alia ratio) te alteri dare, qđ ipſe nõ habeas. Sed ſi ab Aſtrologis diſceſſum fuerit: hæc ſexuũ diſtinctio in Diis, ex populari opinione orta eſſe uidetur: qua, ut ait Ariſtoteles,* ἀφομοιοῦσιν ἑαυτοῖς τούς τε

βίους καὶ τὰ εἴδη τῶν θεῶν οἱ ἄνθρωποι, *hoc est, homines Diis & humanam formam & uitæ rationem humanæ non dißimilem affingũt. Queritur Cicero, Homerum affectiones & actiones hominum transtulisse ad Deos: cum cõtrà potius faciendũ fuisset, & à uita Deorum, sapientißima utiq; & perfectißima, humanæ uitæ degẽdæ exemplum petendũ esset. Fortaßis in hanc opinionẽ uulgus impulsum est eò, quòd reges & reginæ ob merita in numerum Deorum relati fuerunt, quos eũdem sexũ apud superos quoq; retinere persuasum habuerunt. Fuerunt & hæretici quidam ob hanc opinionem* ἀνθρωπομορφῖται *appellati. Quæ autem in sacris literis de Deo sic dicuntur, ut ab humanis affectionibus formis atq; actionibus nõ abhorrere uideantur: ea sunt* ἀνθρωποπαθῶς *intelligenda: diuina scriptura se ad captum humanæ imbecillitatis accõmodante. Neq; enim de diuinis rebus, nisi humano more, & uerbis humanis, ab hominibus certè quidem dißeri potest.*

Impium esse cremare mortuos.

Quæ consuetudo Græcorum & Romanorum fuit. Persæ aũt censuerũt, corpora hominum matri terræ restituẽda esse integra, ut è qua & ortũ & uictum habuissent. Sic Cyrus apud

apud Xenophontem moriens, τὸ ἐμὸν, inquit, σῶμα τῇ γῇ ὡς τάχιστα ἀπόδοτε, id est, Meum corpus quàm primum terræ restituite.

Sanctum cum matre aut filia misceri.

Græcè est ὅσιον, hoc est, fas esse seu licere. Sed hæc aliarum gentium consensu nefaria habentur. αἱ μητρογαμίαι Persis usitatæ fuerunt, αἱ ἀδελφογαμίαι Aegyptijs, ut testatur Herodotus lib. 3. qui Θάλεια inscribitur: & egregium Babyloniorum iudicum responsum recitat Cambysi datum, percontato, num legibus Persarum ducere sororem, quam deperibat, liceret, his uerbis: νόμον οὐδένα ἐξευρίσκειν, ὃς κελεύει ἀδελφεῇ συνοικέειν ἀδελφεὸν· ἄλλον μέντοι ἐξευρηκέναι νόμον, τῷ βασιλεύοντι περσέων ἐξεῖναι ποιέειν ἃ ἂν βούληται, hoc est: Legem se reperire nullã, quæ fratrem iubeat sororẽ habere in matrimonio. Verùm aliam deprehendisse legem, qua Regi Persarum licerent quæ libuissent.

Aut filia.

Habetur & hoc omnium ferè gentium cõsensu detestabile atq; incestum: & ijs ferè matrimonium conceditur, qui quarto cognationis gradu inuicem distãt. Qui autem de Na-

tura diſputant, & ad primorum parentum rudimenta, omnia reuocant: quàm rectè ſentiant, non equidem diſputo: & multa in hoc genere ἰατρικῶς τε καὶ φιλοσόφως diſputari poſſunt: ſed illud dico, noſtri ſeculi tam ſacris quàm profanis legibus multa non licere, quæ priſcis hominibus uel neceſſitas, uel licentia maior conceſſerit.

Diuinationibus & præſagijs Deos ſe manifeſtare.

Eſt & hîc erratum ab interprete. Nam Græca ſic habent: ἀσκεῖν τε τοὺς μάγους πρόῤῥησιν, καὶ μαντικὴν, καὶ αὐτοῖς θεοὺς ἐμφανίζεσθαι: hoc eſt, Magos ſtudere prædictionibus & uaticinationibus: ac Deos ab ijs conſpici. Prædictionibus futurarum rerum ſiue ex aſtrorum poſitu, ſiue alijs obſcurioribus rationib. Chaldæos & magos fuiſſe deditos, ſatis notũ eſt. Ac Aſtrologiam naturalem, qualis à Ptolemæo & alijs deſcribitur, licitam eſſe, pleriq; fatentur, exceptis quibuſdam uel imperitè uel ſuperſtitioſè, uel maledicè religioſis. Euocatio autem dæmonum, quos Deos ueteres appellabant, non ferè à pluribus improbatur hodie quàm uſurpatur: qui nec priuatam rem nec publicam ſe curare, nec libidines & animi & corporis explere ſe poſſe cenſent, niſi dæ-

monum

monum auxilio: quorum pluris autoritatem faciunt, quàm Christi, Satanam ab initio & mendacem & homicidam fuisse asserentis. Atq; adeò quid dæmones suis cultoribus & antistitib. præstant, nisi ut sint adiutores scelerum & libidinum? nisi ut uel præstigijs alios deludere, uel insignibus detrimẽtis afficere poßint? Ipsis uerò quid lucri accedit? Num augentur diuitijs? num uirtute & sapiẽtia? num rectius ualent? Num uiuunt diutius et tranquillius quàm alij? Num spe de sua morte meliore fruũtur? Quòd si uerum est, quod iactatur, multos præsenti eorum ope uel periculis ereptos, uel futurarum rerum cognitione instructos, feliciter uitam transegisse: hæc igitur uera si sunt, uideant illi ipsi qua mercede hoc ipsis præstent dæmones. Næ illis stabunt Aeneia magno Hospitia: si non in hac, at in altera illa uita. Nam & in terris huiusmodi euocatio Tullo Hostilio malè ceßit, & plerunq; præstigiatores isti cultoresq; dæmonum & infeliciter uiuunt, & peßimè intereunt. Quare adolescentibus istiusmodi nebulonum consuetudo & doctrina & fugienda & execranda est. Legimus quidem in sacris literis, pias sanctorum hominũ preces à Deo exauditas esse: eosdẽq; præsidio angelorũ

&

& adiutos & defensos. Sed certis carminibus euocatos, & quibusdã cerimonijs parêre illis coactos esse: stultissimæ persuasionis fuerit. O` miseros & infelices dæmones, & quauis anicula imbecilliores, qui nescio quo strepitu labiorum, & puerilibus ritibus coacti, quorumuis libidini inseruire cogantur. Dissimulant illi uires suas ad tempus, & dum obsequi uidentur, perniciem illis struunt. Appellant sacræ literæ diabolum ψεύστην καὶ φονέα καὶ λέοντα ὠρυόμενον, καὶ μυριοτέχνην, καὶ ἄρχοντα τοῦ κόσμου τούτου. *Vnde intelligitur, quanta sit eius & calliditas & potentia & crudelitas, adeò ut si uellet, & à Deo permitteretur, nõ tantum magos, sed omnes etiam homines uel uno momento posset euertere. Quid igitur illi magorum atq; anicularum susurri & lineæ ac circuli, ac nescio qui characteres incommodabunt? Impellit ille quidem impios homines, & ultrò adiuuat ad lædendos alios, Deo ob peccata hominum conniuente, & diaboli opera tanquã carnificis ad scelera punienda abutente. Non igitur præstigiatores isti euocant diabolum, sed ipsi ab eo euocantur: non cogunt sed coguntur: non uincunt sed succumbunt, & ultrò in perniciem ruunt.*

Idolis

Idolis plenum esse aerem, quæ ijs tantum appareant, qui acuti sint uisu.

Idola siue simulacra ista puto intelligi dæmonas, quos uersari in omnibus elementis et inferioris mundi partibus, ne sacræ quidem literæ inficiantur. Ac magorum maiorem fuisse aciem oculorum, sanè illis concedamus. Nos uerò istos siue dæmones, siue alia quædã aeria simulacra cernere necesse non est. Sæpè quidem ipse mihi uidere uideor cerastas, & tortuosos nodososq́ serpẽtes, nunc, prout palpebras uel diduxero uel occlusero, accedentes propiùs, nunc longiùs recedentes, ipsoq́ Proteo & Vertunno mutabiliores, aerijs & perspicuis corporibus. Sed multum uereor, ne nõ monstra illa, sint aeris incolæ potius, quàm oculorum meorum, quorũ (nunc præsertim) eam uim non noui, ut uideant, quæ alios incolumi acie prætereant.

Vtebantur ueste candida, lecto gramine, cibo olere, caseo, pane secundo.

Ad declarandam scilicet animi puritatem, & uitæ innocentiam. Eundemq́ colorem Clemens Alexandrinus etiam Christianis idoneum

idoneum esse censet. Cætera de cultu & uictu magorum ad frugalitatem & temperantiã pertinent, hominibus studiosis & doctis ualde necessariam. Quam Pythagoreis quoq; fuisse causam existimo, ut & esu animalium, et certis leguminibus abstinerent. Quanquam nõ negarim, aliquid etiam superstitionis accessisse, ut crederẽt, se Dijs fore gratiores, ista uiuendi ratione obseruanda : timerentq; ne in boue suos auos aut parentes deuorarent.

Chaldæi apud Babylonios.

Hæc cum historica sint, nec dogmata aliqua exponantur, quæ ad formandum iudicium pertineant: non est in ijs immorari operæ preciũ: cùm sit ab instituto nostro alienũ.

Sacerdotes & prophetæ apud Aegyptios.

Hos Magos fuisse probabile est. Hebræorũ uerò sacerdotes, & prophetæ, sacra & oracula sua diuino spiritui accepta retulerunt, ut quæ ab illis prædicta sunt, non uerba hominum, sed mandata Dei habeantur.

Ab his orti primi in Græcia sapientes.

Quanta barbaries ante bellum Troianũ, atq; etiam aliquot seculis pòst fuerit : cum è

primo libro Thucydidis, tum Diodori Siculi antiquitatibus, aliorumq́; ueterũ scriptis apparet. Atq; adeò Græcos ignorasse literas, antequam à Cadmo Phœnice edocerentur, pleriq; sentiunt. Posteà Græci discendi cupidi, in remotissimas profecti regiones, & Theologiam, qualemcunq; illam quidem, & philosophiam, & artes tam liberales quàm illiberales in patriam secum retulerunt.

Musæus Athenis, Theogoniam & sphæram primus tractare est aggressus, docuitq́;, ex uno omnia oriri, & in idem redire.

Ineptire existimo eos, qui Mosen, ob tantillam nominis affinitatem, in Musæum transformant: cum Mosen in Græciam nunquam uenisse constet. Neq; enim id uel sacræ literæ uel Iosephus dissimulassent.

Theogoniam.

Aut principia rerum tractauit, Deumq́; autorẽ rerum omnium esse declarauit: aut in fabulis & nugis fuit occupatus, sicut Hesiodus in sua Theogonia: qui aut res naturales, ut elemẽta, in Deos trãsformat: aut mortuos hoĩes ob inuẽtas artes & beneficia uitæ hominũ collata diuinis laudib⁹ ornat. aut mõstra q̃dam absurdissima & portẽta cõminiscitur.

Quod

Quod idem & Apollodorus in Bibliotheca sua facit.

Sphæram.

Fuit ergo Astrologus, & motus atq; effectus syderum docuit.

Ex uno omnia oriri.

Vix existimo eum sensisse, Deũ esse ἐξ οὗ καὶ ἐν ᾧ, ex quo, in quo, & per quem omnia, ut sacræ literæ docent. Fortaßis intellexit chaos, primam materiam & elementa, quæ perpetuis uicibus, in hac inferiore natura mutantur: ut, terra liquefacta, paulatim degenerat in aquam: aqua in aërem: aër in ignem, ab imo elemento ad summum ascendendo: rursusq; descendendo, ignis in aërem, aër in aquam, aqua in terram degenerare dicitur, subtilitate & puritate amißa. Analogia autem elementorum inter sese, etsi à nonnullis philosophis curiosè indagatur: tamen uidetur captum humani ingenij excedere, non minus quàm numeri illi Platonici qui in Timæo extant. Semper autem danda est opera, ut & ea quæ sciri cognosciq; possunt, discamus & cognoscamus: & quæ tenebras atq; angustias mentis nostræ superant, prætereamus: cum in discendis necessarijs, & homini concessis, abundè simus occupati.

Linus

Linus apud Thebanos, mundi ortum, Solis & Lunæ uias, animalium & fructuum origines descripsit.

Repetantur hic quæ de Musæi Theogonia dicta sunt. Probabile enim est, eos & eodem in ludo edoctos fuisse, & non dissimiles habuisse opiniones, cũ eadem ferè ætate uixerint.

Solis & Lunæ uias.

Docent Astrologi, septem planetas cursum suum subter Zodiacum circulum, qui Signifer est Latinis, conficere: cuius media linea ecliptica dicitur, à qua Sol nunquã recedit. Luna uerò cæteriq; planetæ aliquot partibus seu gradibus interdum siue in Austrum, siue in Septentrionẽ euagantur, quæ latitudo planetarum dicitur, hoc est interuallum, quo ab ecliptica distãt. Longitudo uerò planetarum est progressus eorum in ipso Zodiaco, ab Occidente in Orientem, quamuis primi cœli conuersione illa uiolẽtissima ab ortu in occasum etiam rapiantur. Hunc Zodiacum circulum instrumentum Dei esse censent, quo hæc inferior natura gubernetur, atq; omnes uicissitudines temporum efficiantur. Etsi autem hæc partim è doctrina de Natura rerum, partim

 è li-

è libellis sphæricis cognoscenda sunt, & huius auditorij captum hoc tempore superant: tamen meo exemplo confirmare possum, utilissimum esse, eorum etiam quæ in præsentia minimè intelliguntur, μὴ παντάπασιν ἀνήκοον γενέσθαι. Multa enim puer audita memoriæ mandaui, quæ nūc demum, quorsum pertineant, sentire incipio.

Animalium origines.

De hoc suprà dictum est, ueteres putasse, terram humefactam & solaribus radijs con calefactam omnis generis animalia genuisse. In qua opinione Linum etiam fuisse probabile est.

Fructuum origines.

Plantas atq; arbores è terra extitisse primùm, utiq; sensit, quarum seminibus posteà propagata omnia sint. Musæus, Linus, Orpheus, Epimenides, Parmenides, & pleriq; ueterum, doctrinam suam uersibus complexi, fabularum inuolucris obscurarūt. Vnde Plutarchus pronunciat τὸ τῶν ποιητῶν μυθῶδες οὐκ ἀφιλόσοφον εἶναι, hoc est, doctrinam de obscuritate naturæ, de rebus cælestibus, de uita & moribus, poetarum fabulis contineri, si dextrè explicentur, ut Eustathius & Heraclides Ponticus in Homericis commentarijs,

Landi-

Landinus & Viues in Virgilio enarrando, atq; alij in alijs autoribus fecerunt. Ea explicatio μυθολογία siue ἀλληγορία dicitur. Didicerũt igitur pueri prima ætate fabulas, quibus natura delectantur: quas adulti demum intellexerunt. Altera fabulosæ expositionis causa fuisse uidetur, ut & admirabilitatem nouitate captarent, & homines hebetes, rudes, ignauos, à tantarum rerum cognitione, qua indigni essent, excluderent, ut testatur ille uersus:

Α᾿είδω ξυνετοῖσι, θύρας δ᾿ ἐπίθεσθε βεβήλοις.

Nos canimus doctis, procul absit turba profana.

Posteà (ut omnia solent in peius degenerare,) nugatores quidam inanes extiterunt, qui inutili uerborum strepitu aures opplerent, atq; etiam spurcissima quæq; & absurdissima, & moribus perniciosa cõscriberent. Vnde factum, ut Plato in Repub. benè constituta, poëtas non esse tolerandos cẽsuerit, nisi & utilia & legibus publicis consentanea commentarentur. Plutarchus autem poëtas non quidem abolendos censet: cùm quo D. Basilius consentit: sed cum iudicio legendos: quam ad rem insigni eruditione est opus.

7. Septem ſapientes: 8. Thales, Solon, Periãder, Cleobulus, Chilon, Bias, Pittacus. 9. Addunt quidam, 10 Anacharſin Scytham, Myſonem Cheneum, Pherecydẽ Scyrium, Epimenidem Cretenſem, Piſiſtratum tyrannũ, &c. 11. Poſt Barbaros & poetas ſapientiam in Græcia profeſſi ſunt 12. Thales Ionicorum philoſophorum princeps, Olympiade 30, tempore Crœſi & Solonis. Is primus fertur ſcripſiſſe de ſolſtitio & æquinoctio, de aſtrologia & defectionibus ſolis. Animas eſſe immortales. Quanto Sol maior ſit Luna. Initium rerum eſſe aquam. Mundum animatum eſſe, & dæmonibus plenum. Anni dies eſſe 365.

De Solſtitio.

Inſignis Aſtrologus fuit Thales, & arte ſua, ſi uoluiſſet, locupletari potuiſſet. Solſtitium autem dicitur quaſi ſtatio Solis, nõ quòd Sol unquam conſiſtat (Nam 365 diebus & quadrante, id eſt, 6 horis totum Zodiacum perambulat, & uiolento motu primi cæli ab ortu in occaſum & rurſus in ortum 24 horarum ſpacio rapitur) ſed quòd ubi peruênit ad Cancrum, aſcendere in Septentrionem deſinit,

nit, & uersus Austrum declinat, idq; Solstitium æstiuum dicitur. Contraq; ubi Capricornum attigit, ab Austro uersus Septentrionem recedit, & nobis dies auget, noctesq; minuit. Id tempus Bruma, & hybernum seu brumale solstitium dicitur. Isti autem solis accessus & recessus, à quibus incrementa & decrementa dierum atq; noctium pendent, è libellis & instrumentis sphæricis sunt cognoscendi: cuius doctrinæ planè rudem & ignarum esse, dedecus ingens est homini literato.

Et æquinoctio.

Græci ἰσημερίαν appellant. Sunt aũt æquinoctia duo, alterum uernum, cum Sol arietẽ ingreditur, alterum autumnale, cum ad Libram peruenit. & horum neutrum apud nos ultra unũ diem durat, diebus statim in uere crescentibus, in autumno decrescẽtibus. Alia est eorum ratio, qui sub sphæra recta habitãt.

Et defectionibus Solis.

Etiam Lunæ, ut probabile est. Nam neutra sine altera potest intelligi. Veteres putabant, in Eclipsibus Solem & Lunam extingui, & nescio qua calamitate & clade affici. Adeò erant rudes rerum cælestium. Sed postea deprehensum est obseruatione ingenio-

sorum hominũ, & Geometriæ atq; Arithmeticæ subsidio, quas Plato alas appellat, quibus in cælum subuoletur, opacũ corpus Lunæ per se, solaribus radijs illustrari. Interposita uerò κατὰ διάμετρον umbra terræ inter Solis & Lunæ corpus, tanquam maceria quadam, obscurari Lunam: itemq; Solis conspectum nostris oculis eripi, cũ Luna directè infra Solis corpus collocetur. Fiunt autẽ eclipses Solis in coniunctionibus, Lunæ in oppositionibus.

Quanto Sol maior sit Luna.

Magnitudo stellarũ, Solis & Lunæ præsertim, è ratione eclipsium deprehensa est, & cognitũ, Lunam terra multò minorem esse: Solem uerò longè maiorẽ terra, adeò ut Astrologi afferãt, Solem uincere terram magnitudine centies sexagies sexies. Hæc ridicula uidentur rudi uulgo, per iocum interrogare solito, ut Diogenes Cynicus fecit, q̃ pridẽ Astrologi de cælo descẽderint, tam gnari scilicet Politiæ cælestis? Sed habẽt illi suas demõstrationes, q̃ à plerisq; lõgè faciliùs uidetur, q̃ uel ab acutissimis & exercitatissimis ingenijs intelligũtur aut refutãtur. Quare adolescẽtes ingenui, si hæc discere nõ possũt, aut nolũt; caueant ne cõtemnãt aut derideãt: sed potius ea se nec intelligere, nec de ijs iudicare posse, ingenuè fateãtur.

Ini-

Initium rerum esse aquam.

Id fuit Thaletis acumen, ea etiam pietas (ut e nonnullis eius dictis colligitur) ut haud dubiè aliquam causam effectricem initiò statueret. Et deinde subiecit materialẽ causam, quam ideò fortasse dixit esse aquam, quòd semina omnium animantium esse humida cõstaret, atq; etiã semina eorũ q̃ terra gignerentur, nõ prius animari solerent, q̃ putrefacta atq; in humorẽ aliquo modo resoluta essent.

Mundum esse animatum.

Hoc est, esse animal, quod habeat suos impetus, sentiat, intelligat: nec esse mortuam & ignauam materiam tantùm. Idq; nonnulli philosophi de cælo & stellis multò magis affirmarunt: quòd absurdum crederent, terrena hæc corpora uiuere, sentire, intelligere: cælestia uerò illa tãtò præstãtiora, esse mortua, sensus & ratiõis expertia. Plausibile uidetur hoc argumentũ: sed testimonio euidẽti sacrarum literarũ destituitur. Occasionẽ certè idololatriæ præbuisse uidetur. Sacræ literæ testãtur, Deũ cõdidisse oĩa, angelos, hoĩes, animantes, q uiuãt, sentiãt, intelligãt, alij plus alij minus. Cælũ autẽ & terrã seruire & Dei gloriæ & saluti animantiũ. Hac cognitione contenti, curiosè non uestigemus, uiuat ne cælum

& sentiat, an sit lapidi aut ligno (quod ad uitam & motum attinet) simile? nec nisi alieno impulsu moueatur & agitetur? Nam quòd cœli enarrare dicuntur gloriam Dei: figuratum est, & sic intelligendum, ut D. Paulus enarrat, Dei æternam maiestatem & potentiam è rebus conditis intelligi atq; perspici. Neq; uerò aspectabilis hæc natura rerum quicquam habet amplius, magnificentius, illustrius cœlis & stellis quæ in ijs continentur. Idem Apostolus κατὰ προσωποιίαν *dolorem attribuit toti naturæ rerum, quòd abusui hominũ impiorum sit obnoxia: liberationemq; à uanitate expectet. Quæ autem apud Timæum Locrēsem* περὶ ψυχᾶς κόσμω, *& apud Platonem disputantur: eam uidentur habere uim, ut affirment, mundũ diuina ui & prouidentia administrari: quæ rebus conditis diuinitus insita sit, ut cœli agitentur, & sydera motũ & uitã reb inferiorib. impertiãt, unde terra fructus tẽpestiuos, aqua pisces pducat, & aër agitatiõe sua uitã animãtiũ sustentet.*

Et dæmonibus plenum.

Hoc est, genijs siue bonis, quos angelos dicimus, siue malis, q diaboli appellãtur. Hæc sententia neq; à Theologia, i. rõne diuina neq; à philosophia, h. e. rõne hũana atq; adeò ab experiẽtia uidetur abhorrere.

Anni

Anni dies esse CCCLXV.

Vt Lunæ cursu menses, ita Solis circuitu anni definiuntur, quorum diuersa fuisse spacia apud alias atq; alias gentes probabile est. Qua de re consulatur Lilij Gregorij Gyraldi libellus, itemq; Hadriani Iunij, & aliorum qui de Annis inscribuntur, aut alioqui χρονολογίας continent, cuiusmodi est Functij, Bibliandri, Gregoræ, & aliorum, itemq; Eberi & Beutheri Calēdarium. Sed ad rem. nostra ætate annumerantur singulis annis ultra hos 365 dies, senæ horæ, quæ quarto quoq; anno diem integrum conficiunt, qui 24 horis constat. Is annus Bissextus seu Bissextilis appellatur, cum Februarius, qui est alioqui 28 dierum, dies habet 29.

Huic successit Anaximander, qui Olympiadis 58 anno secundo erat 64 annorum. cui successit Anaximenes Olymp. 63 tempore Pythagoræ, deinde Anaxagoras, Olymp. 70. docuit, Res omnes simul factas esse. Deinde ornatas à mente fuisse & distinctas. Floruit tempore Xerxis.

Anaximander, Anaximenes.

Horum dogmata à præceptoris Thaletis

 auto-

autoritate non multum recessisse, probabile est, nec quicquam ab iis aliud fuisse excogitatum, quod alicuius momenti uideretur, nisi quòd ille infinitum, τὸ ἄπειρον, rerum initium esse dixit, & infinitos ex infinito mundos extruxit. Anaximenes aerem rerum principium definiuit.

Res omnes simul factas esse.

Græcum habet ὁμοῦ γεγονέναι, quod uidetur rectius conuerti simul fuisse, id est, confusas inter sese fuisse, sicut poetæ de Chao fabulantur. Deinde rudem illam materiam à Deo distinctam esse sensit, ut & Ouidius. Hanc Deus & melior litem natura diremit.

Appellauit autem Anaxagoras Deum νοῦ τὸν διακοσμοῦντα. Mentem digerẽtem & exornantem omnia.

Tempore Xerxis.

Etiam post illius interitum familiaris Pericli duci Atheniensium atq; adeò præceptor eius fuisse dicitur, cuius autoritate & gratia sit supplicio liberatus, qđ Solem nõ Deũ ut cæteri, sed massam quandam ignitam esse perhiberet. Huic initium rerum fuit ἡ ὁμοιομέρεια, id est, minutissimarum particularum occulta & abdita quædam similitudo.

Cuius

Cuius discipulus fuit Archelaus, qui ex Ionia philosophiam Athenas transtulit. Docuit Ortus rerũ duas esse causas, calidum & frigidum. Animalia ex luto gigni. Iustum & iniustum non natura, sed lege constitutum esse. Vocem, percussionem aeris definiuit. Maximum astrorum Solem esse. Vniuersum, infinitum esse.

Athenas transtulit.

Vt & praeceptor huius Anaxagoras ante illum.

Ortus rerum duas esse causas, calidum & frigidum.

Omisit alteras duas qualitates, siccum & humidum: omisit & subiecta in quibus qualitates haereant, ignem, aerem, aquam & terram: omisit & νοῦν τὸν αἴτιον πάντων καὶ τὸν διακοσμοῦντα, id est, Mentem, hoc est, Deum causam rerum omnium & gubernatorem. Ita siue nouitatis studium ex inanis gloriolae, aut pecuniae cupiditate ortum, siue ignorantia & hebetior acies; atque angustiae ingenij, praeclara ueterum inuenta corrumpunt & deprauant.

Animalia ex luto gigni.

De hac opinione suprà dictum est.

Iustum

Iustum & iniustum.

Perniciosa est hæc et impia opinio, nisi cõmode intelligatur. Qui varios gentium mores, leges & instituta tenent: sæpè uident, quæ uno in loco pulchra & honesta habẽtur, ea alibi fœda & turpia iudicari. Vnde hæc orta esse uidetur opinio. Vt Athænis ociosi homines mulctabantur, cum Lacedæmone ocium honestissimum haberetur. Plerīq; sepeliunt mortuos, nonnulli cremant, Aegyptij exenterant & condiunt, Hyrcani cadauera canibus obijciunt, quos ea de causa alunt. Infinitæ sunt tales uarietates, & nonnullæ eiusmodi, ut siue hoc, siue alio modo uestias, ædifices, edas, bibas, similiaq; facias, parum referat. Sunt enim multa ἀδιάφορα καὶ οὐδέτερα, id est, indifferentia & neutra, quæ uel fieri uel omitti, sic aliteŕue administrari, salua honestate possint, arbitratu cuiusq; gentis, quæ suæ uel necessitati uel commoditati consulit. Sed ea quæ à naturæ præscripto recedunt, nequaquam ἀδιάφορα sunt. ut etsi Anthropophagi confectos senio parentes mactant, & deuorant: nunquàm tamen id honestum erit, quia natura docet, parentes colendos esse, à quo naturæ præscripto Anthropophagi plus quàm belluina immanitate, & nefaria con-

consuetudine recedunt, dum œconomi nimis acres & diligentes, nihil perire sibi uolunt. Vbiq; honestum est, esse prudentem, iustum, fortem, temperantem: nec ulla lex hoc naturæ decretum abrogauit: nulla barbarica immanitas immutauit. Non propterea frugalitas uituperanda erit, & contemnenda uirtus, quamuis Ephesiorum lege sancitum esset, μηδεὶς ἡμέων ὀνήϊστος ἔστω, Nemo nostrũ frugi esto, aut potius uirtute excellat. Nam Sybaritarum, nisi fallor, fuit, τὸ μηδεὶς ἡμῶν σωφρονείτω. Cum aliquando Euripides in scena pronunciasset:

Τί δ' αἰσχρὸν, ἂν μη τοῖσι χρωμένοις δοκῇ;

reclamasse fertur Socrates ex tempore

Αἰσχρὸν τό γ' αἰσχρὸν, κἂν δοκῇ, κἂν μὴ δοκῇ.

Prior uersiculus honestum facit arbitrariũ, & pro hominum opinionibus mutabile. Sed transferatur ad uarios ritus, cerimonias & instituta gentium, in cultu & uictu & exercitationibus quibusdam corporis atq; animi, ut modò est dictum. Alter honestatem facit necessariam & immutabilem, cum sit lege naturæ sancita, & ab ipso Deo instituta. Semper igitur turpe erit & ubiq; gentium, hoc est Deo & naturæ aduersabitur, quamuis gentibus nonnullis aut tyrannis placeat, temerè &

& stultè cogitare: reformidare honestos labores, & pericula non propulsare si possis: uiolare innocentes, & per uim aut fraudem opprimere imbecilliores: luxu diffluere & fœdis libidinibus indulgere. Hæc, tametsi à plurimis fiunt, non tamen rectè fiunt unquam: nec illi ipsi hæc turpia esse negant: sed praua consuetudine corrupti, quæ conscientiæ repugnant: cuius stimulos si non sentiunt, ne homines quidem existimandi sunt, sed mancipia diaboli, qui sanam illis mentem ademit. Teneatur igitur hæc distinctio:

Τοῦ καλοῦ τὸ { μὲν ἔξωθεν, νόμῳ / δὲ ἔσωθεν, φύσει } καθέστηκε. *hoc est,*

honestas externa, quæ in oculos & sensus incurrit, cuiusmodi sunt, uestitus, ædificatio, cerimoniæ & similia, lege humana & mutabili consuetudine: internum uerò, quod non nisi mente & ratione perspicitur, in quo scientiæ uirtutesq́ continentur: natura, hoc est, lege diuina & immutabili constat. Qua de re fortasse plura in nostris in officia Ciceronis commentarijs.

Vocem

Vocem percuſſionem.

Non de humana tantùm uoce loquitur, ſed de omnis generis ſonis. Vnde Priſcianus ex philoſophis, uox, inquit, eſt aer ictus, eámque diuidit in articulatam & inarticulatam, quæ Græcis ſunt διηρθρωμένη καὶ ἀδιάρθρωτος.

Maximum aſtrorum Solem eſſe.

De huius magnitudine antè dictum eſt. Earum uerò ſtellarum quæ acie humana perſpici poßint, nullam eſſe, quin terram magnitudine ſuperet, cenſent Aſtrologi, Luna ſola excepta. Quæ niſi terra minor eſſet: umbra terræ obſcurari non poſſet. Quidam addunt Venerem etiam & Mercurium.

Vniuerſum infinitum eſſe.

Mundum finitum eſſe probat Ariſtoteles, tum à circuli forma, tum à certi temporis motu & conuerſione. Plinius furoris eſſe ait, extera mundi indagare, cum homo ſeipſum non planè cognoſcat. Definit autem cœlum, cuius circumflexu tegantur omnia. De materia cœli uariè diſputatur, &, ut ego quidem exiſtimo, fruſtra.

Diſci-

Diſcipulum habuit Socratem, qui autor philoſophiæ de morib. natus Olympiade 77. Vnicum bonum ſciētiam eſſe dicebat: reliquas res nihil ſancti habere. Se hoc unum ſcire, quòd nihil ſciret. Phyſica, & cætera illius generis, ad nos nihil pertinere. Aliorum ſententias refellere, quàm ſuas ſtatuere malebat.

Autor philoſophiæ de moribus.

Multa de doctrina morum, etiam antè Socratem multis ſeculis, & tradita & ſcripta fuerunt. Sed Socrates doctrinam de cœlo in terram deuocaſſe traditur, quòd omiſſa cœleſtium rerum indagatione, inueſtigare iuberet:

ὅττι τοὶ ἐν μεγάροισι κακῶν τ' ἀγαθῶν τε τέτυκται.

Aedibus in propriis quæ recta aut praua gerantur.

Scientiam eſſe dicebat.

Non tantum cognitionem rerum, ſed uirtutes etiam ἐπιστήμας *dicebat, non* ἕξεις *ut Ariſtoteles, propterea quòd nulla uirtus ſine uero iudicio eſſe poſsit.*

Reliquas res nihil ſancti habere.

Id eſt, Non magni eſſe momenti, nec ulla ex

ex parte cum ſcientia eſſe comparandas. Eſt & hæc ὑπερβολὴ μειωτικὴ.

Se hoc unum ſcire.

Eſt & hæc extenuatio immodica, ſed non immodeſta tamẽ. Nam ſi ea quæ ſcimus, cum eorum quæ ignoramus multitudine comparentur: omnis humana ſcientia pertenuis, atque adeò planè nulla eſſe uideatur. Cum igitur ſcientiam ita laudaret, humanámque ſapientiam tantoperè extenuaret: homines ad cognitionem imbecillitatis ſuæ traducere, atque ad diligentem rerum conſiderationem excitare uoluit. Inde Apollinis oraculo hoc elogium meruit:


Ἀνδρῶν ἁπάντων Σωκράτης σοφώτατος,

Eſt Socrates mortalium doctiſſimus.

Phyſica & cætera illius generis.

Eſt & hæc hyperbole per comparationem accipienda: doctrinam de natura rerum, ſi cum doctrina morum comparetur, uideri poſſe ſuperuacaneam. Illud certè quidem conſtare debet, hominem ante omnia ſemetipſum cognoſcere, corrigere & erudire oportere. Tum uerò aliarum quoque rerum naturam inueſtigare licebit. Ac niſi hoc So-

cratis dictum ὑπερβολικῶς τε καὶ συγκριτικῶς *accipiatur, ut & reliqua quæ modò exposita sunt: ualeat Socrates cum sua illa siue sapientia siue inscientia. Nos uerò naturam rerum, ut Dei opus, cum gratiarum actione, & admiratione sapientissimi ac benignissimi artificis, contemplemur: eiúsque prouidentiam, & curam rerum humanarum, è rebus conditis perspiciamus. Omninò philosophorum exaggerationes & extenuationes immodicæ, multos errores, multas inutiles & superuacaneas rixas pepererunt: excogitatis præsertim nouis loquendi formulis, quibus res magis obscuraretur, quàm illustraretur. Homo studiosus sit simplicis ueritatis & proprij sermonis amator, rerúmque naturam consideret. Quod qui fecerit: facilè intelliget, quæ dicta philosophorum simpliciter intelligenda, quæ figuris adhibitis explicanda, quæ probanda repudiandáue sint. Accipiatur igitur hoc dictum non aliter, quàm prius illud, cum affirmat,* τὰ λοιπὰ πλὴν ἐπιστήμης ὅσιον μηδὲν ἔχειν. *Facit enim duo genera bonorum:*



Bona diuina: Prudentiam iusticiam, fortitudinem, temperantiam. Humana: Pulchritudinem, sanitatem, robur, diuitias, gloriã, &c. Ex collatione igitur, ut dictum est, huiusmodi hyperbolæ oriuntur.

Ad nos nihil pertinere.

Ad hoc dogma probandum, citatur dictũ illius: τὰ ὑπὲρ ἡμᾶς, μηδὲν πρὸς ἡμᾶς: *quo significet eam esse naturæ obscuritatem, ut ingenij humani captum superet. Non igitur frustra esse sequenda, quæ assequi nequeamus. Sed hic teneatur Horatianum illud:*

Est aliquò prodire tenus, si non datur ultrà.

Non propterea quòd multa ignoramus, ea quoq; cõtemnenda sunt, quæ scire possumus. Lactantius τὰ ὑπὲρ ἡμᾶς *interpretatur*

cœlos & Deos: atq; ita censet, Religionem ab eo contemptam fuisse: argutius quàm uerius fortasse.

Aliorum sententias refellere.

Inprimis id efficere uoluit scilicet, ut homines suã inscitiam intelligerent, depositaq; arrogantia diligentius de rebus cogitarent.

Quam suas statuere.

Cum enim se nihil scire profiteretur: non committendum putabat, ut quicquam pro certo affirmaret. Sed tamen falsis opinionibus refutatis (quod eius fuisse studium, è Platonicis dialogis apparet) homini acuto & diligenti præbetur occasio iudicandi, quid sit maximè probabile & uerisimile. Hac Socratis siue modestia siue disputandi libertate, factum fuisse uidetur, ut tot philosophorum sectæ atq; opiniones existerent. Hinc Academici suam ἀκαταληψίαν: hinc suam ἀπάθειαν Stoici: hinc Peripatetici μετριοπάθειαν: alij denique alias opiniones hauserunt, pro sui quisque captu ingenij, aut spe consequendæ famæ & celebritatis. Sic nostra ætate sacrarum literarum oraculis, multi ad quæstum, ad ambitionem, ad alios prauos affectus detortis, noua dogmata commini-

scun-

ſcūtur, ut rixarum & turbarum plena ſint omnia : atq; ipſi fallaci illa gloria aut malè partis opibus fruantur. Tales qui ſunt, Theologi non ſunt, ſed matæologi καὶ ψυχοκλόνοι: non philoſophi, ſed improbi & pernicioſi ſophiſtæ, omni ſuppliciorum genere cohercēdi.

Huius fuerunt inter cæteros inſignes diſcipuli Antiſthenes Cynicorum princeps, ſic dictus, ab impudentia & mordacitate. Docuit Virtutem doceri poſſe. Eoſdem eſſe nobiles & uirtute preditos. Seipſa ad uitam beatam contentam eſſe uirtutem. Virtutem rebus non uerbis metiendam eſſe. Tam eſſe expetendum uulgi contemptum, quàm opes & diuitias. Bona honeſta, mala turpia ſola eſſe. Nihil eſſe turpe, quod naturę conueniat.

Sic dictus ab impudentia.

Alij à Gymnaſio, quòd Cynoſarges diceretur.

Virtutem doceri poſſe.

Extat hac de re libellus inter Platonis opera, quo diſputatur, non poſſe doceri uirtutem, quòd nullum ſignum naturæ humanæ ſit additum, quo uir prudens & probus ab improbo & ſtulto dignoſcatur,

ut & Euripides:

Ὦ χρὴ τὸν ἐσθλὸν τοῦ κακοῦ διειδέναι,
Οὐδεὶς χαρακτὴρ ἐμπέφυκε σώματι.

Deinde quòd præstantissimi quiq; uiri, quamuis adhibitò summo educationis studio; filios plerunq; luxu perditos aut stolidos reliquerint. Reliquum igitur esse, ut uirtus sit diuini beneficij munus. Sed hæc controuersia facilè dijudicatur, si quis Aristotelicum illud teneat, ad omnem in quolibet genere excellentiã tria requiri, Naturæ bonitatẽ, quæ Platoni εὐμοιρία φύσεως *siue* θεία τις μοῖρα *dicitur: Rectam institutionem: & exercitationem: quæ imitatione præstantium uirorum, & honesta ciuitatis disciplina, bonisque exemplis plurimum adiuuatur. Doceri igitur uirtus potest, si adsit docile ingenium, id est,* ἄνθρωπος*, ut ait Isocrates,* μὴ κακῶς πεφυκὼς πρὸς ἀρετὴν. *Deinde si prauis exemplis & uulgi licentia naturæ bonitas non corrumpatur. Ibi demum recta institutio* συμπαρασκευάσασθαι καὶ συνασκῆσαι *potest, ut ait idem Isocrates, hoc est, rude ingenium & nondum subactum, præparare & expolire, resecare superuacanea & uitiosa, & ea quæ desunt, paulatim adiungere. Neq; uerò dubium est, quin ad uirtutem,*

ut

ut & ad eruditionem, ingenij bonitas plurimum faciat. Sed quantum ualeat institutio & educatio, (seuera præsertim & diligens) non tantum in pueris, sed etiam in canibus & equis quotidiè cernitur. Plurima tamen cum optimè nata, tum rectißimè instituta ingenia, commercio improborum, & deprauata consuetudine sui seculi suæq; nationis, corrumpuntur, & spem parentum simul & præceptorum fallunt. Magna enim uis est exemplorum, adeò ut ab imbecillioribus ingenijs pluris fiant, quàm ipsius naturæ syncerũ incorruptũq; iudicium, & sapientißimorum sanctißimorũq; uirorũ uerißimæ et salutares admonitiones, & sacrosanctæ præceptiones. Sed non statim rectè fit, quod exemplo fit, ut ait Cicero, & D. Hieronymus praclarè monet, multitudinem peccantium non patrocinari peccantibus. Sed ut ad rem redeam, cum constet, eruditionem ad uirtutem quoq; comparandam, esse utilem: excitanda est diligentia, & amor studiorum, spe tanti præmij (qd enim uirtute præstantius?) inflammandus.

Eosdem esse nobiles & uirtute præditos.

Vtinam tam facilè hoc uulgo eorum, qui

uetustate generis, ac potius nobilitate (Nemo enim, ut Homerus ait, ἀπὸ δρυὸς ἢ ἀπὸ πέτρης nascitur) & diuitiis superbiunt, persuaderi posset, quàm ipsius naturæ iudicio certißimum est, & extra omnem positum controuersiam. Cum enim eadem conditione, eodẽq; modo & nati simus, & uitã sustentemus: quid est quo alij aliis præstẽt, si à uirtute & sapiẽtia discesseris? Corporis robur, pulchritudo, celeritas, dotes sunt homini cõmunes cum bestiis, à quarũ plerisq; uincitur. Diuitiæ, potẽtia, & id genus alia: extra ipsũ hominẽ sunt, & corporis necessitatib. seruiunt. Est enim corpus quasi uestis quædam animi: cæteræ res ipsum corpus quodammodo uestiunt. Est igitur excellentia, id est, nobilitas à principe hominis parte, hoc est, à mente repetenda. Qui autem secus faciunt, & externum splendorem intuentur: non dißimiles iis sunt, qui personam & laruam elegantem admirantur, nec considerant, qualis ea sit facies, quæ sub larua delitescit. Fieri autem potest, ut homo turpißimi aspectus, larua omnium elegantißima tegatur, statuis similis, quæ foris auro nitent, intus uerò muribus, telis aranearũ, aliisq; sordibus sunt refertæ. Sic fieri põt, ut homo formosißimus, ditißimus,

an-

antiquißima stirpe ortus, intercutibus (ut Cato dicere solebat) uitijs scateat, & sit stulticiæ & omnium flagitiorum sentina quædã. Huc annotandi sunt uersus Iuuenalis:

Tota licet ueteres exornent undiq; ceræ
Atria: nobilitas sola est atq; unica uirtus.

Illud quidem diuitibus & nobilibus concedi facilè potest, plures & meliores eos perueniendi ad eruditionem & uirtutem habere occasiones. Sed qui ijs abutuntur, siue ad ignauiam & luxum, siue ad Centauricam ferociam & Cyclopicam immanitatem: hi fortunæ proditores sunt, ut ait Isocrates, maioreq; digni uituperatione, quàm pauperes, qui necessarijs subsidijs destituti, eò quò uoluere peruenire non potuerunt. Vnus igitur tum uitiosæ nobilitatis fructus, minimè ille certè quidem præclarus aut expetendus relinquitur, quem ipsum etiam Iuuenalis hoc modo describit:

Omne animi uitium tanto conspectius in se
Crimẽ habet, quãto q peccat maior habetur.

Seipsa ad uitam beatam.

Hoc Græci ita efferunt, ὅτι αὐτάρκης πρὸς εὐδαιμονίαν ἡ ἀρετή. *Hoc Stoicæ doctrinæ fundamentum est, minimè certè quidem firmũ. Nam si homo sola mente constaret: scientia fortaßis & uirtute cõtentus esse posset. Nunc*

cum ex animo & corpore quasi conflatus sit: corpus autem uictum, amictum, aliaq; plura necessariò requirat (sine quibus homo ne uiuere quidem possit: tantum abest, ut uirtutis illius fructus ad multos perueniat) satis apparet opinionem istam ad somnia beatorum esse referendam. Eruditio & uirtus per se neque sitim neq; famem depellunt: non æstum, non frigus arcent: nõ morbos curant, sine subsidijs aliarum rerum. Quæ etsi plerunq; uirtute & sapientia parantur: aliud tamen est, dicere, uirtutem nulla re egere: aliud, uirtute parari res necessarias. Nam si uirtus nulla re eget: cur inani labore non supersedet? Quantò rectius Gemistus, qui τὸ ἀνενδεὲς Deo, τὸ ὀλιγοδεὲς uiro bono & sapienti tribuit, qui ijs rebus, quas corporis necessitas postulat, contentus, luxum & immensas opes non desideret? Alexander Aphrodisieus libellum contra hoc dogma & παράδοξον edidit, ὅτι οὐκ αὐτάρκης πρὸς εὐδαιμονίαν ἡ ἀρετή. Et q̃d uerbis opus ẽ? dogma hoc si recipiatur, sũma uirtus erit, quàm primum malè perire. Includatur enim Stoicus sapiens: nihil illi rerum omnium præbeatur, præter Zenonis & Chrysippi libros: qui referti sunt descriptionibus & amplificationibus uirtutum: & obseruetur,

quàm

quàm diu tandem istis magnificis uerbis sit usurus: Est igitur hyperbole, ad amplificationem uirtutis pertinens, & cæterarum rerum, quas plerique, uirtute neglecta, maximi faciunt, extenuationem. Nam qui inueteratum errorem hominibus imperitis eripere student: in contrariam partem maximè inclinant, & iniquum petunt, ut æquum ferant. Voluerunt itaq; monere Stoici, corpus & fortunas ita esse curandas, ut uirtuti & sapientiæ principatus deferatur. Dicunt igitur, corpus & ea quæ corpori seruiunt, non esse in bonis: nec ad hominē pertinere. Hæc hyperbolica extenuatio est. Contrà dicunt, uirtutem nō modò summū, sed & solū esse bonū: & q uirtute p̄ditus sit, ei nihil deesse rerū omniū. Hæc hyperbolica amplificatio est, et ab omniū mortalium cōsensu abhorrēs. Rectius igitur Aristoteles cæteriq; Peripatetici, qui uirtuti principatū sic detulerūt, ut neq; corpus negligerēt, neq; alias res, q̄ huius uitæ fragilitati necessariæ sunt, prsus aspernarentur.

Virtutem rebus.

Præclara sententia est, & perpetuò habenda ob oculos. De uirtute garrire, facile est: sed è uirtute uiuere, difficilimū. Qua de causa Epictetus dicere solebat, plerosque philosophari

ſophari μέχρι τοῦ λέγειν, οὐδὲ τοῦ πράττειν, *id eſt, eò uſq; ut philoſophicè loquerentur, nō autem philoſophicè uiuerent. Sic noſtra ætate de Theologica fide penè uſq; ad pugnos & gladios diſputatur, cum interim fidem etiam ciuilem, & eam honeſtatē, quam uel Ethnici magnifecerunt, penè amiſerimus. Sic nos quoq; Chriſtiani ſumus* μέχρι τοῦ λέγειν, οὐδὲ τοῦ πράττειν: *cum Chriſtus teſtetur, ſe non agnoſcere eos qui dicant, Domine domine, ſed qui faciant uoluntatem patris ſui. Quod ſi nobis ſtudio eſſet, parêre diuinæ uoluntati: pleræq; rixæ de rebus, quæ aut captum humani ingenij ſuperant, aut ad ſalutem minus neceſſariæ ſunt, utiq; minuerentur, ſi non planè conticeſcerent. Nunc etiam atq; etiam metuo, ne ex eorū numero ſimus, qui labijs colunt Deū, cum eorum corda à Deo ſint alieniſſima. Sed hæc hactenus.* Λέγω γὰρ ταῦτα (κατ' ἰσοκράτην φάναι) οὐ κατὰ πάντων, ἀλλὰ κατὰ τῶν ἐνόχων τοῖς εἰρημένοις ὄντων.

Tam eſſe expetendum.

Τὸ καταφρονεῖσθαι ὑπὸ τῶν πολλῶν, *cōtemni à uulgo ſeu multitudine. Paradoxi huius ratio eſt, quod uulgus excellentiam uirtutis & ſapientiæ uel non intelligens uel contemnens, ſola uanitate, & larua illa externarū*

rerum

rerum mouetur: ac suspicit eos, qui diuitijs & potentia & nobilitate cæteris præstant, & omnibus uoluptatibus circumfluunt: quamuis nec rectè sentiant, nec ita morati sint, ut recta ratio postulat. Epictetus (ut epigramma de eo testatur) & seruus fuit, & claudus, & Iro pauperior: sed sapiẽtia & animi æquitate constantiaq́, (ut eius monumẽta testantur) admirabili & penè diuina. Seruijt autem Epaphrodito, Neronis Cæsaris liberto. Vulgus hominum Epictetum contempsit ob uitium corporis, ob paupertatem, ob seruitutem. Epaphroditum uerò herum eius, qui assentationibus & multis haud dubiè nefarijs obsequijs, non modò libertatem, sed etiam autoritatem, magnas opes & gratiam tyranni singularem cõsecutus fuerat, suspexit, ac penè adorauit: uirtutem autem Epicteti neq; intellexit neque curauit. Quid uerò Epictetus? Is sua sorte ita contentus fuit, ut se Dijs immortalibus charum esse prædicaret. Laudi igitur sibi duxit, τὸ καταφρονεῖσθαι ὑπὸ τῶν πολλῶν, *uicißimq́ contempsit ac potius miseratus eos est, à quibus contemnebatur. Pertinet hæc sententia ad gloriæ definitionem, quæ prædicatione eorum qui rectè de rebus & hominibus iudicare possunt: non uulgi temeritate,*

tate, ſtulticiaq́; & improbitate nititur. In eò uidetur penè exceſsiſſe modum, quòd contemni ſeſe expetendum eſſe dixit. Plus ſatis enim eſt, illo ſui contemptu non magnopere moueri & perturbari. Nam ſimiles Euangelij ſententiæ de perſecutione etiam expetenda, ſancti ſpiritus auxilio nituntur, non ſolis humanis uiribus.

Quàm opes & diuitias.

Has inter ἀδιάφορα *numerarunt Stoici, & tamen* προηγμένα *dixerunt, hoc eſt, præferendas eſſe diuitias inopiæ & paupertati, ſi optio detur, cenſuerunt.*

Bona honeſta.

Solam honeſtatē, id eſt, uirtutem ἀγαθὸν, *ſolam turpitudinem, id eſt, uitium* κακὸν *dixerunt Stoici. Cætera, ut modò attigimus,* προηγμένα, *ut pulchritudinem, ſanitatem, diuitias, &c. Contraria uerò, ut deformitatem, aduerſam ualetudinem, paupertatem,* ἀπροηγμένα, *id eſt, reijcienda uel poſtponenda cæteris, quæ uulgo bona dicuntur. Alij etiā* ἀδιάφορα καὶ οὐδέτερα *quàm* ἀπροηγμένα & προηγμένα *dicere maluerunt uitam, mortē, ſanitatem, morbū, diuitias, egeſtatem, quòd his & bene & malè uti liceat. Hoc dogma ipſe Antiſthenes in graui morbo, ſi non euertit,*

tit, multum certè eneruauit. Nam cum exclamanti, quis me hisce doloribus liberabit? Diogenes, cultello prolato, hic, dixisset: ille non, inquit, uita, sed doloribus me liberari uelle dixi. Sensit igitur & uitam esse bonam, & dolorem malũ. Cur enim alioqui & hunc auersatus esset, & illam expetiuisset? Ad eundem modum et Persæus Zenonis auditor, qui diuitias rem indifferentem diceret, facetè ab Antigono delusus est, falsò nunciãte prædium illius periisse. Quo ille audito cum expalluisset, uides, inquit, Rex diuitias rem nõ esse indifferentem? Sic quicquid cõtra ipsius naturæ sensum uel phantasticè uel sophisticè dicitur: ab ipsa natura, cum res agitur, refutatur.

Nihil esse turpe quod.

Vera est hæc sententia, si natura hominis ita consideretur, ut à Deo condita fuit, siq; specimẽ ex optimo genere capiatur. Sunt qui ad furta, ad latrocinia, ad cædes, ad mendacia, ad calũnias, ad imposturas natura sint propensi. Num ergo hos uacare turpitudine dicemus, atq; excusatos habebimus? Absit. Nõ est talis hoĩs natura à Deo cõdita: sed iusta & sancta. Cõuenit igitur naturæ hũanæ iusticia & sanctitas. Neq; uerò his uirtutib. necessitates corpo-

corporis excluduntur: si & modus in ijs seruetur, & diuinæ legis præscriptum non uioletur. Licet edere & bibere & quiescere: sed post honestũ laborem & moderatè. Licet procreare liberos, sed ex legitima uxore. Sic de reliquis iudicare difficile non est. Sed uidetur Antisthenes ἁπλοκύων dictus, id est, simplex canis (si codex non fallit) intellexisse ea, quæ Cynicæ impudentiæ sunt, & cum occultè fiunt, reprehensione uacant, palàm autem molesta & odiosa sunt, minimeq́ ad consuetudinem moremq́ ciuilem accommodata. Magnificæ & generosæ sunt huius uiri sententiæ. Sed alicubi excedunt modum. Stoicæ quidem doctrinæ hic potius autor statuendus esse uidetur, quàm Zeno Cittieus.

Diogenes cognomento Cynicus, qui senex erat Olympiade III docuit: Exercitationem duplicem esse, animi & corporis. Alteram sine altera imperfectam esse. Naturam sequi, uitam esse beatam. Nihil melius esse libertate. Omnia sapientum esse, quia sint amici Deorum. Nobilitatem, gloriam & cætera, ornamenta esse uitiorum. Communes debere esse uxores. Crustari piè posse carnes humanas.

Cogno-

Cognomento Cynicus.

Κύων potius. Nam ipse (autore Laërtio) interrogatus, cuiusmodi canis esset? Melitæus, inquit, dum esurio: satur uerò Molossicus, ex eorum numero, quos multi cum laudent, tamen cum ijs exire uenatum ob laborem non audent.

Exercitationem duplicem esse.

Rectè censuit. Nam & corpus propter tuendam ualetudinem augendasq; uires exercendũ est: & ingeniũ ut falsæ opiniones prauæq; cupiditates minuantur, & uirtus atq; sapientia cõparetur. Quo pacto autem utraq; hæc exercitatio instituenda sit, ut neutra alteri officiat, sed mutuas potius operas tradant: alibi est ad captum puerilem satis expositũ.

Alteram sine altera imperfectam esse.

Quia magna est corporis atq; animi cognatio consensioq; (συμπάθεια Græcè significantius dicitur) fieri uix potest, ut animus suo munere fungatur, nisi corpore incolumi & uegeto: contraq; cum animus corporis esse debeat quasi dux & gubernator, nisi is ualuerit, corpus in multa delicta incidet. Cõseruat autem utriusq; sanitatem prudens & moderata exercitatio.

Naturam ſequi uitam eſſe beatam.

De hac ſententia conſulantur ea, quæ in primum librum de Officijs dictauimus. Stoici recentiores naturæ ſubſtituerunt Deos, ut ex Arriani Epicteto apparet, qui ait, τέλος εἶναι ἕπεσθαι τοῖς θεοῖς, finem hominis eſſe ſequi Deos: ut & Plato ὁμοίωσιν τῷ θεῷ κατὰ τὸ δυνατὸν ἀνθρώπῳ, id eſt, in eo poſitam eſſe hominis felicitatem, ſi Deo, quoad eius fieri poßit, ſimilis fiat. Exhortatur & Chriſtus ſuos ad imitationem perfectionis patris ſui cæleſtis: non quòd eam unquam attingere poßint: ſed quòd perfectißimum exemplar proponere ſibi debeant.

Nihil melius eſſe libertate.

Vt ſeruitus, ita etiam libertas eſt duplex, altera corporis, altera animi. Animi ſeruitus eſt, cum homo non rectam rationem, ſed prauos ſuos affectus ſequitur: contraq́; libertas animi eſt, rectè iudicare de rebus omnibus, rectumq́; iudicium in moribus, & in uita omni ſequi. Chriſtiana libertas eſt, liberatum eſſe ab ira Dei, peccato, diabolo, inferno & morte æterna: contraq́;, factum eſſe filium & hæredem Dei, & cum Chriſto perpetuò regnare in cælis: qui unicus huius libertatis autor eſt, ſicut ipſe teſtatur. Si filius, inquit, uos libera-

liberauerit: uerè liberi eritis. Hæc libertas si intelligatur: rectissimè dixit Diogenes, nihil melius esse libertate. Etsi ciuilis quoq; libertas & philosophica magnifacienda sunt, & rectè poëta sensit cum scriberet:

Non bene pro toto libertas uenditur auro.

Sed hæc libertas non excludit eam seruitutem, quæ debetur Deo, rectæ rationi, æquis legibus & legitimis dominis ac magistratibus. Serui enim (ut Iurisconsultus ait) legum sumus, ut in libertate uiuere possimus. Non igitur seruiũt, sed liberrimi sunt: qui rectè præcipienti & monenti obtemperant.

Omnia sapientum esse, quia sint amici Deorum.

In hanc sententiam multa præclarè disputantur ab Epicteto. Sed huius egregij dicti uera interpres est Christiana religio, quæ pijs docet cum Christo omnia esse donata à Deo. Cum autem pij & sapientes aliquando egeant: disputant Stoici, omnes hominis opes in animo esse sitas, & quicquid accidat, uoluntate Dei accidere eis, non irati, sed consulentis eorum cõmodis, quos ita tractat. Quæ sententia ita cum religione nostra congruit, ut ab Epicteto inde petita esse uideatur.

Nobilitatem, gloriam & cætera, ornamenta esse uitiorum.

Græcè προκοσμήματα τῆς κακίας, id est, uelamenta quædam, quibus uitiorum deformitas obtegatur. Vt si mulier fuco sese illinat, ne faciei naturalis pallor appareat. Sentētia est, eos qui uirtute careant, nobilitate potissimum gloriari, cæterisq́ fortunæ muneribus uitia sua obtegere. Sed hac de re suprà dictum est.

Communes debere esse uxores.

Vt inter canes scilicet, quorū tamen morsibus & concertationibus admoneri debuit, cōmunionem istā minimè facere ad Reipub. tranquillitatē. Sed uidentur hæc & similia à Platone, Diogene, alijsq́ philosophis εἰρωνικῶς et per ridiculū dici, ad exagitanda adulteria suæ ætatis, quasi dicerent: si matrimonij fides non sanctius obseruabitur, quàm nunc fieri solet: perinde erit ac si nulla essent matrimonia. Verba Diogenis fuerunt, τὸν πείσαντα δεῖν πάσῃ συνεῖναι ut cuiusuis liceat cōsuetudine uti, cui persuaseris, hoc est, quæ non recuset copiam sui facere. Satyricus exclamat:

— Casta est quam nemo rogauit.

Quod si uerum est: benè procedet ista communitas, quam ut Sacræ literæ detestantur,

sic Babylonica disciplina ad urbanitatem & laudem humanitatis refert. Sed quantũ theologiæ ualeat autoritas hac in re & similibus: nemo ignorat. Sumus Euangelici, si Dijs placet, sed Euangeliũ ad cupiditates nostras detorquemus, & nostris blandimur flagitijs, imbecillitatẽ carnis excusantes scilicet, cum carnis ea fortitudo sit, spiritus uerò imbecillitas, ac potius nequicia, quæ nos non sinat esse probos. Luxus diuitiarũ, & fuga laboris in causa est, inprimis uerò impietas, aut, si qua scintilla pietatis superest, magna ignauia in petendo auxilio diuino, et negligentia in cauendis occasionibus. Christus autem efficax remedium proponit: Hoc genus (inquit) dæmoniorum nõ eijcitur nisi deprecatione & ieiunio. Qui igitur castitatem conseruare studet: ardenter inuocet Deum, ieiunet, hoc est nõ tantum crapula & uino sese non obruat, sed fugiat omnes delicias, omnes occasiones, nunquam sit ociosus uel corpore uel animo, nimiũ somnum caueat, aliaq́ quæ cogitationes tales excitare & corporis lasciuiam augere possunt. Quib. ipsis de reb. alibi quoq́ diximus.

Gustari piè posse carnes humanas.

Anthropophagorum decretum hoc est,

non philosophorũ, nisi fortè obsidionis aliqua necessitas aut solitudo hoc cogat, sicut & in Samaritana obsidione & ante Hierosolymitanum excidium matres suos infantes deuorasse perhibentur. Cambyses item cum imperij proferendi cupiditate in uastas Aethiopiæ solitudines deuenisset, commeatu destitutus, decimasse fertur legiones suas. Qualiscunque incidat necessitas, fortasse præstat oppetere mortem, quàm tantum facinus designare. Quid enim crudelius mactatione insontis hominis? Quid deuoratione cadaueris detestabilius?

Hunc secutus est Crates Thebanus, Olympiade 113. Deinde Zeno Cittieus, Olympiade 130. In Stoa porticu docuit, Stoicorum princeps, qui docuerunt. Primam esse animalis appetitionẽ, seipsum conseruare. Finem bonorum esse, conuenienter naturæ uiuere. Id uerò esse ex honesto seu uirtute uiuere. Honestum, uirtutem & utile idem esse. Bonum nõ esse ullum præter honestum, ut nec malum præter turpe. Commoda aut incommoda corporis uel fortunæ, nec bona esse nec mala, sed indifferentia: esse tamen alijs alia anteponẽda, προηγμένα ἢ ἀπροηγμένα.

μένα. Bona creſcere non poſſe, aut immi nui, ſed omnia omnibus æqualia & paria eſſe, ut etiã mala & peccata. Officiũ eſſe quod naturæ & rationi congruat. Πάθη, motus eſſe uitioſos, non naturales, ſed ex opinione peruerſa natos: ideo ĳs carere ſapientes, id eſt, eſſe impatibiles, ἀπαθεῖς. Solos ſapientes eſſe ſacerdotes, reges, dictatores, &c. liberos, innocẽtes, amicos, beneficos, omniũ rerum dominos, formoſos, inuictos, uinciri nõ poſſe, &c. cõtrà, ſtultos. Nullã eſſe in uirtute progreſſionem, quę leuet à miſeria. Meliores alios alĳs nullos eſſe. Communes eſſe debere ſapientibus uxores. Mundũ finitum eſſe. Vacuum rem eſſe infinitã. Solem, ignem eſſe ſyncerũ. Deum proui dere mundo & partibus eius.

Stoicorum princeps.

Eadẽ ferè huius dogmata fuerũt, ut antè dictũ eſt, q̃ Antiſthenis. Sed hic Cynici cognomen, ille Stoici obtinuit, ꝙ in ea porticu doceret, q̃ Græcè ποικίλη dicitur à picturis præliorũ Athenienſiũ: ſuo nomine Πεισιανάκτειος: ubi et in bellis interfecti ſepeliri ſoliti fuerũt. Cynici autem ſiue ab impudentia canina & quoſlibet allatrandi impunitate, ſiue ἀπὸ τοῦ κυνοσάργους gymnaſio dicti fuerunt.

Primam esse animalis appetitionem seipsum conseruare.

Optimus huius loci interpres est Cicero, primo de Officijs: Principio, inquit, omni est animantium generi à natura tributum, ut se, uitam corpusq́; tueatur, declinetq́; ea, quæ nocitura uideantur: omniaq́;, quæ sint ad uiuendum necessaria, acquirat, & paret: ut pastum, ut latibula, ut alia generis eiusdē. Quæ ad conseruationē animalis pertinent, ea Græcè dici solent τὰ πρῶτα τῆ φύσει, ἢ τῆς φύσεως, *i. prima natura, uel naturæ. Hinc illud Pythagoræ:* φύσεως φωνὴ, μὴ πεινῆν, μὴ ῥιγοῦν. *Naturæ, inquit, uox est, nō esurire, non algere. Hæc est illa* φιλαυτία, *& natura insitus sui amor quo omnes animātes studiū suæ salutis & felicitatis habēt, haud sanè reprehēdendū, nisi cum aliorū iniuria cōiungatur. Ac lupis quidem & leonibus crimen fortasse nullū possumus impingere, imbecilliora animalia deuorantibus: quòd nullo alio pastu uitam tueri possunt. Sed hominem ab homine mactari et deuorari: id uerò graue & immane est: quia nec naturale nec necessariū, sed ab ipsa natura interdictū. Neq; uerò me de Anthropophagis tantùm loqui cēseas: sed & de auaris, tyrānis, p̄donibus, sophistis, sycophātis, hypocritis,*

omnibus

omnibus deniq; iis, qui aliorum uel uitæ & ualetudini, uel famæ et existimationi, uel rei familiari nocent, & ex eorum commodis sua comparant commoda. Quibus nulla fera neque truculentior neq; nocentior.

Finem bonorum esse, conuenienter naturæ uiuere.

Finem bonorum uocant philosophi, summum bonum, felicitatem, beatam uitam, & eum statum rerum omnium, in quo quisque acquiescat, nihil amplius requirat, nullam mutationem desideret. Sed quis unquam talis extitit? quis est talis, aut futurus ullo tempore in terris esse credi potest? Somnium est hæc felicitas & quidem umbræ somnium. Vt enim neque sapiens neq; bonus, sic ne beatus quidem & felix quisquam est præter unum Deum, in quo uno situm est summum hominis bonum: quod nunc in hac uita suspiramus, in illa altera expectamus. Cæterum qđ ad Naturam attinet, rectè sic eam celebrarēt philosophi, & omnem bene beateq; uiuendi rationem ab illa arcesserent: si talis permansisset, qualis fuit à Deo condita, ut autorem ac parentem suum & cognosceret, & amaret, & coleret, & in eo uno sua omnia collo-

caret. Quòd nunc quàm frigidè fiat, ac potius, quàm contraria omnia fiant: quis est qui non à seipso exemplum poßit petere? Sed hæc Theologorum sunt, hoc est, ueræ philosophiæ, ex oraculis prophetarum, apostolorũ, & domini ac seruatoris nostri Iesu Christi cognoscẽdæ: cuius cum rudes atq; ignari philosophi fuerint: eos in multis reb. hallucinatos fuisse, qs miretur? Neq; tamẽ, si qd rectè dixerũt, aspernãdũ fuerit: cætera cõmuni miseriæ naturæ deprauatæ cõdonãda. Vt igitur ad rẽ redeamus, loquitur Zeno nõ de natura, quatenus ea homini cõmunis est cũ belluis: sed de peculiari natura hominis, quæ præcipuè posita sit in rationis & orationis usu. Videtur aũt Stoici plerią; corpus à natura hominis exclusisse: quasi uerò cũ Diis aut geniis agerẽt, nõ uerò cũ iis, q nisi corporis sarcinã circũferrẽt, nullis philosophorũ præceptis egerẽt. Sed sæpè iam alibi diximus, Stoicos (si ab ambitione & nouitatis studio uindicentur) hoc secutos esse, ut iniquũ peterẽt, quò æquũ ferrent, hoc est, ut hominum studia ab admiratione corporis, & rerum fortuitarũ ad animi culturã traducerent. Id quod illis extenuãdis, hoc amplificando se maximè consecuturos esse putauerunt. Neq; tamen id uel à semetipsis impetrare

trare potuerunt. Quis enim Stoicorum corp⁹ & uitã & ualetudinẽ suã neglexit? Quis nõ dedit operã, ut esset unde uiueret? ut in tuguriolũ aliqđ receptũ haberet, in quo à tẽpestatũ, ferarũ, hominũ etiã iniurijs defenderetur? Cui nõ chara fuit sua existimatio? Hæc enim & alia cõplura ipsius Naturæ imperio nõ minus, sed magis etiã quàm animalia cætera homo cõsectatur, nec ullam aliam doctrinam uẽter, carens auribus, admittit. Cur igitur Naturæ, ut profitẽtur discipuli & sectatores, in hoc à Natura magistra & duce desciuerunt? An uerò illis tantũ præcepta sua usui esse uoluerũt, quibus iam rebus omnibus ita pspectũ esset, ut securi & tuti culturæ animorũ uacare possent? Iam diuitum tantùm, [redacted] *nec eorum tamen omnium magistri erunt: nec tamen id efficient, quod proponunt, ut ea contemnenda sint, sine quib. uiui non potest, siue illa ab aliis suppeditentur, siue propria cuiusq. industria comparentur.*

Id uerò esse, ex honesto seu uirtute uiuere.

Hoc est, Eum esse beatum, qui prudenter, iustè, fortiter, temperanter uiuat, quantumuis infirmo corpore, quãtũuis pauper et egẽs.

Hoc

Hoc si Zeno ægrotantibus & esurientibus persuadere posset: palmarium facinus ederet, & omnibus omnium regum triumphis præferẽdum. Sed nescio quomodo subinde reclamat uenter, surdus ille quidem, sed non item & mutus, & Stoici ipsi senserunt in morbis, se magnificètius locutos esse, quàm uerius. Itaque Dionysius quidam, hac de causa ὁ μεταθέμενος dictus, à Stoicis ad Peripateticos defecit: & alius quidam in morbi articularis doloribus exclamauit ille quidem: Nihil agis dolor. Quamuis enim sis molestus: nunquam tamen efficies, ut te confitear esse malum. sed tamen quid esset dolor, & quàm res indifferens, satis sensit: in eo tamen laudãdus, quòd dolori, quantum in se fuit, restitit.

Honestum, uirtutem & utile idem esse.

Sit & huius loci interpres Cicero secundo libro de Officijs. Omninò ita se res habet, uera utilitas perpetuoq; duratura, non potest ab honestate separari. Sed alia est popularis utilitatis ratio. Atq; utinam non & philosophi, hoc est, ij qui se eruditos esse dicunt, idem & sentirent & facerent. Videmus inter Theologos existere hypocritas, sophistas, sycophãtas.

Qua

Qua re mouentur? Falsa ſpecie utilitatis. Putant enim beatum illud ocium peßimis artibus ſimulationis & mendacij rectè emi. Quid Iurisconſulti? Quot inter eos ſunt, qui lites ex litibus ſerant? qui innocentiam oppugnent? qui iniuriam defendant? Quid cauſæ eſt? Quia opes utiliores eſſe Iuſticia putant, quamuis ſe eius ſacerdotes eſſe, profitentur. Quòd ſi Medicus obiter ſuo munere fungitur: diuitum intemperantiæ blãditur: pharmacopolarum quæſtui inſeruit: ſi deniq; id agit, ut plurimi ægrotent, & nunquã planè conualeſcant: nónne is quoq; ueritati & Iuſticiæ, quæſtum, hoc eſt falſam utilitatis ſpeciem anteponit? Et ut ad noſtrum uitæ genus ueniamus, ſi ij qui docendæ puericiæ præſunt, non aliud curent, niſi ut mercedem accipiant, atq; obiter curent pueros: nónne hi quoq; ignauum ocium & iniuſtum quæſtũ, hoc eſt, falſam utilitatis opinionem officio et datæ fidei anteponunt? Quòd ſi ſummos & infimos ſpectes, & omnia uitæ genera excutias: pleroſq; reperies huic ſententiæ, ſi non uerbis & diſputationibus, at uita & moribus refragari. Sed & hac de re alibi plura dicta ſunt fruſtra certè quidem. Cum riſu enim & odio audiuntur, quæ pugnant cum prauis affecti-

affectibus, & disciplinæ corruptæ inueteratá & recepta consuetudine.

Bonum non esse ullum præter honestum: ut nec malum præter turpe.

Definierunt id esse bonum quod possessorem bonum redderet, hoc est, uirtute & sapientia ornatum. Cum autē uiderēt, multos esse formosos sanos, robustos, ueloces, itēq; diuites, potentes, & tamen adeò non meliores aliis, ut stulticia & improbitate cæteros longè superarent: aliter, salua definitione sua, pronunciare non potuerunt, quàm eas res non esse bonas. Adhibuerunt igitur hic (ut sæpè iam dictum est) amplificationes & extenuationes suas, & nouo loquendi genere prauas hominum cupiditates peruersaq; studia corrigere, & in ueram uiam perducere uoluerunt. Est autem inter Stoicam & popularē rationem controuersia uerborum potius quā rerum. Quid enim interest, prosperam ualetudinem siue bonum siue præferendum morbo dicas, modò rectè ualeas, & non ita insanias, ut ægrotare malis? Vsurparunt sibi philosophi plerique uocabula noua confingendi licentiam, aut ueterum significationes ad res alias

alias trāsferēdi. Idq́ fecerūt aliàs necessitate coacti aliàs studio fortasse nouitatis adducti (nam cum aliter sentirent quàm uulgus: aliter sibi etiam loquendum esse putabant) aliàs obscuritate dicendi homines ignauos & profanos à philosophiæ sacris, quasi cancellis quibusdam oppositis, arcere uoluerunt. Sed, ut ad institutum redeam, Bonum Stoici nouo modo definiunt, id solum bonum appellantes, ut dictum est, quod eum penes quem esset, ipsum quoq́ bonum redderet. Ita uirtus bona est, quia reddit eum bonum in quo est. Ita Sapientia bona est, quia naturam ei suam (ut suauissimè scribit Isocrates) cui contigerit impertit, hoc est, sapientem illum facit. Negari sanè non potest hæc excellentissima esse bona, quòd iis abuti nemo potest. Nā cum primum quid stultè feceris, prudentiæ & sapientiæ iacturam feceris, ut non omninò, at illo certè tempore, dum stultè agis. Si quid molliter effœminateq́ feceris: fortitudo periit. Si quid iniustè, si quid nequiter & luxuriosè: & Iusticia & Temperantia naufragium patientur, eoq́ tempore te destituent, etsi quasi postliminio ad te reuerti fortasse poterunt. Populariter autem Bonum id definitur, qđ ad incolumitatē corporis & animi

mi aliquid confert, etsi eiusmodi sit, ut eo etiam malè uti liceat. Sic bonum dicimus uinum, quia si eo moderatè utaris, & ualetudinem corporis et ingenium multum iuuat. An uerò ideò id malum erit; quòd ebriosi homines eo ad perniciem & suam & aliorum abutantur? Nequaquam. Distinguendus est enim usus ab abusu. Abusus uitium hominum est, non ipsarum rerum. Vsus uerò ipsarum rerum est natiua uirtus & bonitas. Sed & his de rebus sæpè dictum est.

Commoda aut incommoda corporis & fortunæ, nec bona esse nec mala, sed indifferentia: esse tamen alijs alia anteponenda: προηγμένα καὶ ἀπροηγμένα.

Indifferentia.

Hæc & neutra dicuntur, ἀδιάφορα καὶ οὐδέτερα. *In Ciceronianis plerisq; codicibus legitur* προηγμένα καὶ ἀποπροηγμένα, *sed apud Laertium* ἀπροηγμένα *quinq; syllabis non sex, unde uerbum* ἀπροῆχθαι τῷ προῆχθαι *contrarium. Vocabant autem illa indifferentia, quòd scilicet rectè utenti prodessent, abutentem læderent, ut modò de uino diximus. Voluerunt etiam ea, quæ in malis uulgò numerantur, indifferentia esse: ut morbū, pauper-*

pertatem, mortem: quòd his etiam bene uti liceat, si scilicet æquo & magno animo feras. Sed hic locus Christianæ religionis proprius est: quæ docet, cur ea quæ mala putantur, nobis accidant, & quo fine. Meditanda est diligenter hæc sententia, & in omnem uersandâ partem. Sic enim apparebit, Stoicos non pessimè quidē sensisse, sed paulò magnificentius quàm uulgaris consuetudo ferat, locutos esse. Deinde opera erit danda, ut in excellentissimis bonis parandis, uirtute inquam & sapientia, quæ nos sui similes, hoc est, bonos & sapientes efficiunt, & quibus abuti nullo modo possumus, ante omnia & summo studio elaboremus. Quod si factum fuerit: neq; προηγμένα *illa deerunt. Nam ab iis & parandis & conseruandis uirtus & sapientia adeo nō abhorrent, ut sint potius magnarū ac multarum utilitatum & syncerae etiam uoluptatis effectrices.*

Esse tamen alia aliis antè-
ponenda.

Προάγεσθαι *est produci, primum locum obtinere, ātecedere, dignitate præstare, ut princeps plebeio, seruus domino, animus corpori, corpus pecuniæ præstat. Sic sanitas Stoicis bonum non est* ἀγαθὸν *sed* προηγμένον, *produ-*

ctum siue prælatum: quòd in delectu rerum, optione data prospera ualetudo aduersæ præponitur: morbus non malum, κακὸν sed ἀπροηγμένον, & præ sanitate negligitur & non priores, sed posteriores fert: non in prima acie collocatum, sed extremum agmen claudit: ac potius nullum in exercitu locum haberet, excludi si posset.

Bona crescere nõ posse aut imminui: sed omnia omnibus æqualia & paria esse: ut etiam mala & peccata.

Fortasse defendi hoc potest, si de perfectione summa intelligatur, cui certè nihil potest addi. Sin quicquam detraxeris: etiam perfectioni aliquid decedet, & ad malum & imperfectionem fiet quasi regreßio. Vnde uulgò dicunt, Id quod melius sit, non esse bonum, ut si dicas: Melius esse esurire quàm fame perire. Esurire bonum non est, præsertim diu. Minus tamen malum est, quàm fame interire. Sed rerum humanarum ea est fragilitas, ut summum illum bonitatis & perfectionis gradum nemo attingat. Quò autem quisque propius ad eum accesserit: eò melior & habetur & dicitur. Quò longius ab eodem recesserit: eò rursus nequior & habetur & dicitur. Neque uerò omnium tantummodo

po-

populorum consentiens loquendi consuetudo, rerum hosce gradus admittit: sed & ipsa natura rerum paßim ostendit. Sumamus, exempli gratia, aquam. Ea natura frigida est, sed (siquidem cætera paria sint) frigidior hyeme quàm æstate. Potest illa & tepescere & calescere & feruescere. Tepidã & calidam absque noxa ferimus: feruidam non item. Sumamus aliud exemplum: Studiosus est adolescens, qui domi præmeditatur ea, quæ in schola discenda sunt, qui præceptorem attentè audit, qui omnia necessaria sibi, calamo persequitur, qui audit a quàm primum repetit & memoriæ mãdat, cæteraq; præstat quæ præceptor iusserit. Hic laudem suam meretur, & inter ignauos ueluti luscus inter cæcos excellit. Sed est alius studiosior, qui & hæc omnia præstat diligenter, & suo Marte plura consequi studet, etiam à præceptoribus non proposita. Legit sacras literas, uersatur in lectione historicorum, subinde stylum in uario argumentorum genere exercet, disputandi occasiones cum iis, à quibus erudiri potest, auidè arripit, multa inquirit, multa per contatur, cessat nunquam, semper in officio est, iacturã temporis grauißimã ducit postremus it cubitũ, primus cubitu surgit. Deniq;

quod Thucydides de Atheniēsib. scribit οὔθ' ἑορτὴν ἄλλο τι ἡγεῖται ἢ τὸ τὰ δέοντα πρᾶξαι, ξυμφοράν τε οὐχ ἧσσον ἡσυχίαν ἀπράγμονα ἢ ἀσχολίαν ἐπίπονον, *hoc est, Nec ferias alias esse ducit, nisi fungi officio: nec minus malum ignauum ocium, quàm ærumnosam occupationem. Hic non tantum priorem illum diligentiæ aßiduitate uincit, sed etiam summum gradum tenere uidetur. Inter hūc & infimum interiectus is est, & quasi medius, qui alterum studio superat, ab altero superatur. Sic apud Homerum fortis est Diomedes, fortior Aiax Telamonius, omnium fortißimus Achilles. Multum profectò sibi sumunt Stoici, si gradus comparationis & è natura rerum, & è Grammatica, hoc est, è loquendi ratione tollere uoluerunt. Sin is eorum scopus fuit (quem fuisse probabile est) ut monerent, à uitiis & inscitia quàm longißimè recedendum esse, ad uirtutem autem & eruditionem in summo quasi fastigio collocatas, omni ope nitēdum: cum idea Platonica, id est, perfectißima cuiusq; rei forma, consenserunt: laudandi potius quàm reprehendēdi. Paradoxon hoc de paribus omnium peccatorum momentis Cicero peculiari declamatione illustrauit, sed Vitus Amerbachius & Marcus*

Marcus Antonius Maioragius labefacta-runt, ut & cætera paradoxa: ne dicam penitus euerterunt admirabilem istam magniloquentiam Stoicorum: in quam Plutarchus ita inuehitur, ut libellum scripserit, cui titulus ὅτι παραδοξότερα λέγουσιν οἱ Στωϊκοὶ τῶν ποιητῶν, id est, Stoicos absurdiora dicere quàm poetas, mendaciorum architectos.

Officium esse quod naturæ & rationi congruat.

Τὸ καθῆκον *Stoicorum uocabulum est, ueteribus satis fuit* ἡ ἀρετὴ καὶ ἡ κατ' ἀρετὴν ἐνέργεια ἢ καλοκαγαθία. *Natura autem humana intelligitur, quæ corpore & animo rationis capaci constat. Etsi Plato (ut disputationibus uariè ludere, & penè sæpius oratorem quàm philosophum agere, hoc est, immodicis exaggerationibus & extenuationibus uti solet) in Alcibiade priore disputat, corpus non partem hominis, sed ita esse hominis instrumentum, ut malleum fabri. Qua ineptissima (si dicere fas est) & dissimilima similitudine Stoici arrepta, omnia paradoxa sua, fundamento minimè firmo superstruūt: & hominem Deum quendam & mentem à corpore separatam faciunt. Mirum uerò, ni*

quotidianis naturæ necessitatibus admoniti, orationis suæ uanitatem intellexerunt. Qua de re copiosius in Epicteteis Simplicij commentarijs egimus. Sed si ea natura hominis intelligatur, quæ est, non quæ fingitur: locum habere potest hæc officij descriptio. Officium enim hominis est & corpus tueri & animum excolere: sic tamen, ut animo plus, tanquam præstantiori & domino, quàm corpori, ut deteriori & seruo, tribuatur. Quòd si tempus inciderit, ut utrunque simul conseruari non possit: corporis potius iactura facienda est quàm animi, hoc est, pietatis & honestatis.

Πάθη motus esse uitiosos, non naturales: sed ex opinione peruersa natos: ideo ijs carere sapientes, id est, esse impatibiles, ἀπαθεῖς.

Πάθη Cicero affectus, affectiones, motus animorum nimios, rationi non obtemperantes, seu à ratione auersos, perturbationes item interpretari solet. Hi affectus, si solo animo constaret homo, & una ac simplex quædam natura esset: aut nulli existerent, aut minus essent importuni. Nunc cum ex corporibus & animis constemus, quemadmodum corpora, Hippocrate autore, ob di-

uer-

uersas in iis qualitates atque humores languere & ægrotare & interire solent: ita etiam animi contagione quadam corporis afficiuntur, præsertim, cum uis iræ & cupiditatis è temperie corporis quasi efflorescere uideatur. Nam unde aliàs tanta esset ingeniorum atque morum dissimilitudo? Cum igitur homo compositum quoddam sit animal (quicquid dicant Platonem secuti Stoici) natura humana his siue affectibus siue perturbationibus uacare non potest, ac ne debet quidem. Pertinet ira ad defensionem sui: cupiditas, ad asciscenda idonea: Metus, ad auersanda & cauenda nocitura: Spes, ad animi solatium: Gaudium, ad felicitatem. Existunt ergo non ex opinione, sed à natura oriuntur: nisi forte ipsam opinionem è pura mente oriri dicant. Quæ si falsa est: cum natura mentis utique pugnat, cui tanquam scopus proposita est ueritas, sicut uoluntati id quod bonum est. Illud tamen Zenoni concedi potest, opinionibus sæpè excitari affectus non modò prauos, cuiusmodi sunt inuidia & odium, è cæco sui amore orta: sed & bonos, aut certè tolerabiles, plus quàm par sit, augeri. Cui sententiæ peruulgatus ille uersiculus suffragatur.

Οὐδὲν πέπονθας δεινὸν, ἂν μὴ προσποιῇς·

Nihil es graue passus, te nisi fingas pati.

Sed declaretur exemplo: Ambitiosus sophista, si quis neget, eum in nulla eruditionis parte claudicare: commouetur uehemẽter: & existimationẽ suã imminutã esse censet. Philosophus uerò, hoc est, is qui ueritatem & amat & intelligit, ista libertate orationis adeò non offenditur, ut libenter profiteatur, se ne Grammaticã quidem perdidicisse, nec unquam eò peruenturum, ut desit quod discat: sicut Solõ de se ꝓfessus est hoc uersiculo:

Γηράσκω δ' ἀεὶ πολλὰ διδασκόμενος.

Semper discendo plurima, fio senex.

Excesserunt igitur modum Stoici qui affectus amputarunt & sustulerunt (uerbis scilicet ac disputationibus suis. Reipsa enim nunquam id assecuti sunt) Rectius Peripatetici, qui eosdem putarunt, & ad mediocritatem reuocare studuerunt. Sed & hæc alibi copiosius & accuratius tractata sunt.

Solos sapiẽtes esse sacerdotes, reges, dictatores, & liberos, innocẽtes, amicos, beneficos, omniũ rerũ dños, formosos, inuictos, uinciri nõ posse, &c. cõtrà, stultos.

Magnis cachinnis excipi solet hæc Stoicorũ magniloquentia, nec fortaßis immeritò, si & ipso-

ipſorum mores cum tanta uerborum magnificentia non conſentientes, & uitæ ciuilis conſuetudo ſpectentur, id eſt, τὸ γινόμενον. Sed ſi quis rectam rationem, id eſt, τὸ δέον intueatur: fortaſſe non peſſimè ſenſerunt. Nam ſi ſacerdotis eſt, Deum colere & placare: à ſtulto & improbo agnoſci & coli quî poteſt? Debet igitur ſacerdos eſſe uir bonus & ſapiens, eodemq; modo rex, qui fruendæ iuſticiæ cauſa, ut ait Cicero, conſtituitur. Qui ſi ſit uecors et malus: quid erit aliud niſi fax & peſtis generis humani? Ac talium exemplorum plenæ ſunt omnes hiſtoriæ, adeò ut quidam dicere non dubitarit, omnium bonorum principum imagines in uno annulo ſculpi poſſe, prouerbioq; iactetur, Aut Regem aut Fatuum naſci oportuiſſe.

Dictatores.

Græcè eſt αὐτοκράτωρ, cuius ſumma poteſtas eſt ſine cuiuſquam interceſſione. Videtur & hoc eſſe uerum. Nam ſi ſapiens & rectè iudicat, & ea quæ uera & recta ſunt exequitur: ſeditionis utiq; reus fuerit, qui ab eo prouocauerit, illius imperium aſpernatus. Nam cum à ueritate receſſeris: in mendacium utique incides. Deſerta uirtute: ad ſcelera & flagitia deſciſces. Eſt igitur Dictatura hæc non

miſeri alicuius homuncionis, ſed diuinæ autoritatis poteſtas. Proinde qui uel infimũ hominem, rectè monentem, contempſerit: is ſe Deum ipſum contempſiſſe non dubitet. Recta enim ratio radius quidam eſt diuinæ lucis: quam qui in ſuos oculos incurrere non uult: is in Cimmeriȷs, quod aiunt, tenebris perpetuò uerſatur, & in ſentina uitiorũ omnium inſtar porci immundi uolutatur. Fidelem & prudentem monitorem Epictetus ſuauiſsimè dicit, Mercurium eſſe, à Ioue optimo Maximo miſſum, qui officiȷ admoneat.

Liberos.

Scilicet, à ſeruitute uitiorum falſarumq́; opinionum. Neq; enim hic politica libertas aut ſeruitus intelligenda eſt.

Innocentes.

Homo enim (ut ait Cicero) qui naturæ pareat, homini nocere non poteſt. Sed Græcum nomen ἀβλαβὴς etiam paſſiuè intelligi poteſt: Eos eſſe ſapientes quibus nemo nocere poſsit, ut idem ualeat, quod ἀκώλυτος καὶ ἀπαρεμπόδιστος. Prolixis enim diſputationibus probare conatur Epictetus, ſolam προαίρεσιν, καὶ χρῆσιν τῶν φαντασιῶν, hoc eſt, uoluntatem & uiſorum uſum, id eſt, uerum de rebus iudicium, proprium hominis eſſe bonum, quod

quod ei nec eripi, nec surripi, nec cogi, nec impediri ab ullo possit. Cætera uerò omnia, ut corpus, uxorem, liberos, amicos, famam, rem familiarem, iuris ac ditionis esse aliena.

Amicos.

Quia rectè philosophi statuunt, amicitiā ueram, non esse posse nisi inter bonos, uirtutis mutua admiratione conciliatam. Neq; uerò probitas sine sapientia, hoc est, recto de rebus iudicio constare potest.

Beneficos.

Et quidem summa beneficia conferunt sapientes, cum in id dent operam, ut omnes rectè sentiant, & bene beateq; uiuant. Cæterorū uerò munera plerunq; imitantur hamos, ut ait Plautus.

Omnium rerum dominos.

Pendet hoc à sententia Diogenica, qui sapientes Deorum amicos esse affirmabat, cum amicorum omnia sint communia. Sed is ipse Diogenes, homines diuites, amici sui Dei procuratores, sæpè malignos & iniquos expertus, colaphos pro stipe accepit: & panem à statuis exigendo, (αἰτῶν γε καὶ τοὺς ἀνδριάντας ἄλφιτα) repulsas æquo animo ferre dicit.

For-

Formoſos.

Τὸ κάλλος τῆς ψυχῆς animi pulchritudo intelligatur: cuius pulcherrima eſt harmonia, & mente rectè præcipiente, & appetitu alacriter obtemperante. Eſt & aſpectus talis animi pulcherrimus, ſed oculi noſtri hallucinantur. Quòd ſi formam corporis ſpectes, uiliſsima ſæpè meretricula uincet ſapientem.

Inuictos.

Quia non patiuntur extorqueri ſibi uerũ iudicium, & rectam uoluntatem. Quam cũ diuinæ gubernationi ſubmittant: quicquid Deo uiſum fuerit, æquis & magnis animis perferunt.

Vinciri non poſſe.

Statuunt enim (ut iam dictum eſt) Stoici, corpus non eſſe partem, ſed inſtrumentum & mancipium hominis. Solam uerò mentem dignam eſſe, quæ homo appelletur. Vnde Plato ſcripſit ὅτι οὐκ ἔστιν ἄνθρωπος τὸ ὁρώμενον: non eſſe hominem id quod ſub aſpectum oculorum cadat. Itaq; Epictetus tyranno minitanti, ſe in uincula ipſum coniectum, occiſurum eſſe, reſpondit, Epicteti manus & pedes uincire, ac ceruices amputare poteris, Epicte tũ uerò ipſum neq; uincire neq; occidere poteris.

Con-

Contrà, ſtultos.

Contrariorū ut contraria ſunt conſequentia: ſic eadem eſt doctrina. Nam altera ex alteris intelligūtur. Qui enim quid ſit uerum, bonum, album, intellexerit: quid falſum, malum, nigrum' ue ſit non utiq; ignorabit. Conferuntur tamen hæc inter ſeſe κατ᾽ ἀντίθεσιν ἢ ἀντεξέτασιν, rei declarandæ & illuſtrandæ cauſa.

Nullam eſſe in uirtute progreſſionem quæ leuet à miſeria.

Pertinet & hæc ſententia ad Stoicorū illā ἀκρίβειαν, nihil niſi perfectum & omnibus ſuis numeris abſolutum admittentium, uirtutisq; nomine dignantium. Sed hæc beatorum, quod aiunt, eſſe ſomnia, ſæpius iam diximus. Non planè ſanus eſt, qui non niſi baculo innixus ambulare poteſt. Rectius tamen eo ualet, qui in lectulo decumbit, & uix manus tollere poteſt. Sic qui aliquando per occaſionem genio indulget, plerunq; tamen ſobriè modeſteq; uiuit: temperantior eſt habendus eo, & proinde felicior (ſiquidem felicitas à uirtute pendet) qui noctes diesq; in comeſſationibus exigit. Habent & uitia & uirtutes progreſſiones ſuas. Quod ni ita eſſet: qui ſtultiſsimus

tißimus & flagitiosißimus paulò antè fuisset, subitò & quasi diuina uirgula in uirum perfecta uirtute & sapientia mutaretur, & è contrario. Fit quidē hoc aliquando, & olim sæpè factū est diuinitus. Sed ea exempla Zenoni nota non fuerunt: & is non de diuina illa metamorphosi loquitur: sed de ea uirtute, quæ hominis industria comparetur. Nam quis alioqui disputationum eius & tot librorum fuisset usus?

Meliores alios aliјs nullos esse.

Si hæc sententia ad inanes et uiri[illegible] pertes nobilitatis, potentiæ, diuitiarum, similiumq; rerum titulos referatur: locum habere potest. Sin ad naturam aut uirtutis & sapientiæ exercitationem: non uideo quemadmodum probari poßit. Videmus enim alios aliјs ingeniј & animi uigore, & aßiduitate diligentiæ longißimo interuallo antecellere. Iniuria fieret igitur Cyro, qui & prudentißimus & optimus fuisse perhibetur, si Thersite aut Mida nihilo esse melior diceretur.

Communes esse debere sapientibus uxores.

Vtinam non potius robustis & succi plenis stultis, quàm gracilibus & aridis sapientibus,

bus, qui mulieres parum curant, parumq; uiciſsim ab ijſdem curantur, eæ communes eſſent. Zelotypiam illi fortaßis hac ratione ſublatam, & ualetudini conſultum uoluerunt, ſi quis in laſciuiorem mulierculam incidiſſet: ſicut Lacedæmonij Reipublicæ, cui non minus quàm ipſis parentibus liberi ſuſciperentur. Vnde marito uel ualetudinario, uel ætate effœto, turpe non fuit, adoleſcenti generoſo uxoris ſuæ fundum conferendum elocare. [redacted]

In hac uero ſtulticia & prauitate quid fiat, uidemus: quid fieri debeat, non ignoramus. Nec Moſes nec Chriſtus uel concubitus uagos & promiſcuos, uel iſtam matrimoniorum licentiam ac corruptelam probant: quæ (in magnis urbibus præſertim) tãta eſt, ut D. Petrus, ſi uiueret, multò magis dicturus eſſet: ſi hæc hoĩs cã eſt: ꝑſtat uxorẽ nõ ducere: maximè, ſi uitãdæ ſcortatiõis cã ducẽda eſt uxor. Quæ ſi fidem nõ ſeruat marito: quid id cõiugiũ aliud eſt niſi perpetua ſcortatio? Odioſa hæc ſunt, Vtinam falſa quoq; eſſent. Falſa autem non erunt, ſi Chriſtus uera locutus eſt. Valeant igitur

igitur commenta & somnia philosophorum, & diuinis humanisq́. & in hac re & in aliȷs, sanctionibus & legibus obtemperetur: quarum autoritate mulier uno uiro non contenta, non uxor aut coniunx, sed aut meretrix aut adultera nominatur. Quæ autem arcana remedia, coniugiorum arcanis morbis adhiberi uel debeant uel poßint, uel certè soleant: iȷ uiderint: quorum id interest. Eorum [redacted] *& euidentium flagitiorũ: ut rarus sit, qui nõ Incidat in Scyllã, cupiẽs uitare Charybdim.*

Sed hæc Stoicis et Lacedæmoniȷs disceptanda relinquantur, quibus ea honesta sunt, quæ Christiana religio detestatur.

Mundum finitum esse.

De hoc antè diximus. Sed Plinius festiuè addit. Infinito eum esse similem ob immẽsam magnitudinem.

Vacuum rem esse infinitam.

Imò talem potius, quam natura rerum nõ admittat. Vbi enim solidum corpus nullum est,

est, id spacium aër occupat, cuius natura est cedere grauiori & duriori materiæ.

Solem ignem esse sincerum.

De hoc quoq; antè dictum est. Oculi quidem ita iudicant, sicut etiã de stellis, sed qualis sit ignis ille cælestis, nos non intelligimus.

Deum prouidere mundo & partibus eius.

Aristoteles Dei prouidentiam orbe Lunæ terminauit, infra quam quæ essent, fortuitò [illegible] ob instabili materiæ natura puta[illegible]. Sed hæc opinio non tantum à Theologis, sed à philosophis etiam improbatur. Christus quidem affirmat, ne passerẽ quidem sine uoluntate patris sui cadere in terram, et omnes piorũ capillos esse numeratos. Rectè sanè Epictetus colligit, nisi Deus curaret singulos, nullam esse posse pietatem, nullam religionem, & negligendum esse Deum, à quo homines negligantur: addito hoc epiphonemate: ὅπου τὸ συμφέρον, ἐκεῖ καὶ τὸ εὐσεβές.

Post Zenonem Cleanthes scholam obtinuit: deinde Chrysippus. Cuius discipuli: Aristo Chius, qui docebat: Nulla esse momenta ad eligendum in medijs rebus inter uirtutem & uitium: sed

omnia paria esse, τῆς ἀδιαφορίας εἰσηγητής. Partem philosophiæ de Natura, & artẽ differendi nullam esse: quòd altera supra nos esset, altera nihil ad nos attineret. Heryllus dixit. Finem esse scientiam. Indifferentia esse omninò commoda corporis & animi. Horum etiã tempore docuit Pyrrho: Nihil tale esse re uera, quale uideretur, sed opinione tantum omnia esse. Hinc Pyrrhonij, Sceptici, Ephectici, Zetetici, & similes dicti sunt.

Nulla esse momenta ad eligendu[illegible]

Aristonis, Herylli & Pyrrhonis iam [illegible]dem explosam esse sententiam, scribit Cicero, quòd nullum rerum delectum reliquerint, nec ad officij inuentionẽ eorum dogmate aditus esse posit. Quare missos hos faciamus. Vt autem ἀδιαφορία ista intelligatur, exemplis est opus. Dixit igitur Aristo, nihil interesse inter uitam & mortem: inter optimè & pessimè ualere, inter extremam inopiã & maximas opes, & id genus alia, plena absurditatis: quæ tamen ea specie fucauit, ut ad extollendam uirtutem, & cætera uitæ commoda extenuanda, pertinere illa uellet. Hanc ἀδιαφορίαν Cebes Thebanus etiam in extrema sua tabula probare conatur: nec ab ea opinio-

opinione abhorret Epictetus, quam prolixius refutare non est huius loci.

Partem philosophiæ.

Τὸ λογικὸν καὶ φυσικὸν *sustulit, ut & Socrates, ac solum* τὸ ἠθικὸν *reliquit.*

Altera supra nos.

Id est, tantam esse naturæ rerum obscuritatem, ut captum humani ingenij superet.

Altera nihil ad nos.

Quod scilicet subtili artificio disserẽdi & dicendi nihil sit opus, sed uulgari more de reb. disputare sit satis, ut Amafanius ille fecit apud Ciceronem. Egregius hic, ut et Epicurus, ignauiæ atq; inscitiæ patronus fuit, quamuis summum hominis bonum in scientia collocaret. Sed eam fortaßis sciẽtiam intellexit, quæ ad bene beateq; uiuendum pertineret. Quæ ut antecedat omnino est opus. Frustra autem erit, nisi etiam actio uirtutis consequatur. Quam si exclusit: mutilatam proposuit doctrinam, & ad uitam humanam in terris nõ accommodatam.

Nihil tale esse re uera quale.

Non contentus hic fuit integritate mentis & sensuum, ac fortasse putauit, non omnino sine rõne, nos in extremitate et externa

ſpecie rerum hærere, nec ipſarum naturam penitus introſpicere. Agnouit hic, ut apparet, imbecillitatem humani ingenij: ſed in eo exceſſit modum, ne delirauit dicam, ſi nõ conſtare aſſeruit, nix albáne an nigra eſſet? glacies frigida an calida? & id genus alia. Neq; uerò cauſam habuiſſe uidetur excogitandæ nouæ linguæ, & mutãdi ea, quæ omnium ſententijs recepta eſſent.

Euclides Megarenſis, unde Megarici. Docuit: Id bonũ ſolum eſſe, quód ſit unum, ſimile & idem ſemper. Bonũ appellari aliàs prouidentiam, aliàs Deum, aliàs Mentem, &c. Quæ bono aduerſentur, nulla eſſe. Omne bonũ in mente poſitum eſſe & acie mentis, qua uerum cernitur. Hanc diſciplinam ſecutus eſt Menedemus, qui quòd Eretrieus eſſet, ſuis Eretriacorum nomen dedit.

Id bonum ſolum eſſe, quód ſit unum, ſimile idem & ſemper.

Præclarè ſenſit, ſolum Deum eſſe bonum, & fontẽ omnis bonitatis. Cætera uerò ſi quid habeant boni, id à Deo promanare.

Quod ſit unum.

His ambagibus ſiue notis deſcripſit Dei naturam,

turam, quantum potuit. Sed hæc dilucidius explicantur à Simplicio Epicteti interprete.

Bonum appellari aliàs.

Diuersas appellationes Dei exponit, quæ tamen idem ualeant. Deus usu receptum nomen est. Bonum naturam Dei significat. Prouidentia dicitur, quòd gubernet mundum, & consulat rebus humanis. Mens ideo dicitur, ne corpus humanum aut aliquid aliud Deo affingamus.

Quæ bono aduersentur nulla esse.

Si Deus bonum est, & infinita Dei potentia: uoluntati eius quis resistat? In Dialectica quidem malũ bono aduersatur. sed id malum reuera nihil aliud est, nisi ἀπόπτωσις καὶ στέρησις τοῦ ἀγαθοῦ, *hoc est, prolapsio quædam à bono, & priuatio boni, sicut cæcitas est priuatio uisus, sanitatis ægritudo.*

Omne bonum in mente positum esse.

Magnifecit & hic scientiam, nec immeritò. Cum enim mens præstantissima pars sit hominis: summum etiam bonũ rectè in mente collocatur. Mentis autem actio est cognitio ueritatis. Deus uerò ipse est ueritas, ut Chri-

stus testatur, qui eam affirmat esse uitam æternam, ut homines cognoscāt patrem suum, & quem is miserit Iesum Christum. Sic summum hominis bonum à sacris quoque literis in cognitione collocatur: sed ea tamen, quam actio cognitioni consentanea comitetur. Non enim pauciores sententiæ sunt, nec leuioris momenti, quæ uitæ sanctitatem postulent, amoremq; Dei & hominum, atq; obedientiā flagitent, quàm ueram cognitionem. Cognitionis enim finis est actio, in hac quidem uita: etsi charitas, quæ, abolita fide & spe, in altera quoque uita durabit, haud scio an actio quoq; dici possit. Est enim charitas uiuū atq; actuosum aliquid, itaq; ignea pingitur.

Plato, natus Olympiade 88. Academiæ præfuit, inde Academici, cuius sententiæ sunt: Summum bonum esse, si quis Deo similis sit. Virtutem ad beatam uitam requirere corporis & fortunæ emolumenta, non tamen necessaria ad beatitudinem ea esse. Animam immortalem esse, & multa subire corpora. Quatuor rerum esse causas, Materiam, Deum, Ideam & Exemplar. Deum curare ac intueri res humanas. Tres esse animi

animi partes, rationem in capite, iram in corde, cupiditatē in iecore. Primus Dialogos conscripsit.

Summum bonum esse, si quis Deo similis sit.

Ὁμοίωσιν τῷ θεῷ κατὰ τὸ δυνατὸν ἀνθρώπῳ. Non sine causa Plato θεῖος dictus est. Crebrò enim de Deo & religiosissimè loquitur, & ad eius imitationem, ut & Christus, exhortatur.

Virtutem ad beatam uitam.

Tria bonorum genera statuit, è quibus perfecta beatitudo quasi conflaretur, animi, corporis, & rerum externarum: sicut & auditor Platonis fecit Aristoteles. Hæc sententia consensu totius generis humani comprobatur. Etsi nonnulli uel nouitatis studio, uel alia de causa, ad animum omnia referunt: cui etiam Peripatetici principatum deferunt. Sed hîc repetantur ea quæ suprà dicta sunt.

Non tamen necessaria esse.

Num ergò superuacanea sunt? si superuacanea, cur requiruntur? An hoc uoluit, quod & Aristoteles scribit, ea ἐπικοσμεῖν hoc est, non constituere, sed ornare felicitatem, ut elegans uestis per se formosum corpus? καὶ ἐν προσθήκης εἶναι μέρει accessionem esse quandam?

Animam immortalem esse & multa subire corpora.

Hæc siue μετεμψύχωσις siue potius μετενσωμάτωσις (corpora enim mutari, non animam perhibent, sicut idem homo aliàs aliam domum incolit) Pythagoreorum fuit, & ante Pythagoram (quo Hermes Trismegistus longè est antiquior) Aegyptiorum: qui statuebant, animos humanos æternos esse, hoc est, ortus atq; interitus expertes. Sed in uaria transire corpora, aliàs hominum, aliàs pecudum, & in ijs corporibus uitæ malè actæ dare pœnas, alios grauiores, alios leuiores. Sunt qui hæc ἀλληγορικῶς intelligant, ut turpibus uoluptatibus deditus animus porco, maledicus cani, iracundus leoni, callidus uulpeculæ comparetur, & sic de reliquis. Sed apparet, sine figura sic sensisse Pythagoram, qui & canem, eius à quo uapularet, necessarium, & bello Troiano se Euphorbum fuisse diceret, deinde factum piscatorem Delium, aliquando etiam meretriculam (quo nomine in primis à Luciano ridetur) donec post multas ambages factus fuerit Pythagoras, cuius dogmata præclarè describit Ouidius libro Metamorphoseon 15.

Ac istud τοῦ μεταγγισμοῦ τῶν ψυχῶν commentum etsi mirum in modum doctissimis philosophis Simplicio & Syluestro, etiam post doctrinam Euangelicam propagatam, placuit: tamen repudiandum esse, nemo Christianus ignorat.

Quatuor rerum esse causas, materiam, Deum, Ideam, & exemplar.

Εἶδος, ἰδέα, παράδειγμα apud Platonem uidentur esse συνώνυμα eandemq; uim habere. Sic autem perfectissimam cuiusque rei formam nominari à Platone doctissimi quiq; existimant, ut non ὑφεστηκότα, id est, res quæ per se subsistunt, sed ἐν ψιλαῖς ἐπινοίαις κείμενα, in nuda cogitatione posita. Aristoteles μορφὴν pro idea usurpasse uidetur. Statuit enim & ipse tria principia, priuationem, materiam & formam, in qua causa efficiens, hoc est, Deus intelligitur. Nec enim ipsa sese materia informat scilicet, nihilo magis quàm qui: Olim truncus erat ficulnus inutile lignum. Quem faber esse Deum uoluit. Sacræ literæ docent, non tantùm formam impressam esse diuinitus, & chaos illud ordine quodam digestum: sed ipsius etiam materiæ esse autorem & conditorem Deum. Hoc

uno igitur principio rerum omnium contenti, curiosè plura non inquiramus. Nam materia & forma etsi principia quædam corporum sunt, & priuatio ea uis & natura materiæ intelligitur, qua illa & ueterem formã exuere, & nouam induere potest: sicut è spinæ medulla serpentem: è boue apes: ex equo crabrones: ex asino scarabeos nasci perhibẽt: tamen uerè principia dici nequeunt, cum aliud principium habeant, ipsum Deum, qui à philosophis αὐταρχὴ appellatur, id est, principium per sese, cuius unius nulla sit origo, cum ex eo uno cætera omnia oriantur.

Deum curare ac intueri res humanas.

Diuinæ prouidentiæ assertor fuit. qua sublata, unà corruit non modò religio & pietas (ut antè diximus) sed ciuilis etiam honestas, ignoratione scelerũ & impunitate ꝓposita.

Tres esse animi partes, Rationem, in capite: Iram, in corde: appetitum, in iecore.

Hoc dogma prolixo opere contra Chrysippum defendit Galenus. Disputant aũt Physici de animæ principatu, sit' ne is in cerebro, an in corde collocandus? Cordi sapientiam uidentur tribuisse Latini, unde Nasica ille Cor-

Corculum dictus, & cordati homines prudentes appellantur. Christus cordis & conditor & cognitor, affectus omnes cordi tribuit, id quod in se quisque opinor uerum experitur, non in ira tantùm, sed in quauis etiam cupiditate ac tristicia: Aristoteles eidem principium uitæ aßignat, ut hepati & stomacho, nihil nisi ἡ φυτικὴ ὄρεξις appetitus nutrimenti, cum stirpibus quodam modo communis relinquatur. Mentis autem domicilium esse cerebrum, cum primis in læsionibus & morbis capitis apparet. Sed his de rebus uidetur non magnoperè esse laborandum, cum ὅλον τὸ σῶμα σύῤῥουν τε καὶ σύμπνουν καὶ συμπαθὲς esse constet, hoc est, oẽs partes corporis mutuas inter sese tradãt operas et humorib. & spiritib. peruiæ, & (si Græcos imitari liceat) confluentes & conspirantes & cõpatientes: sic tamen ut in aliis maior uis sit & illustrior: in aliis tenuior & obscurior: ut fit in alphabeto, ubi uocales semiuocalib. hæ mutis p̃stãt, nec tamẽ ad cõficiẽdã orationẽ mutis carere possum⁹. Sic in Republica principatũ tenet Senatus, nec tamẽ sine plebe cõstare põt ciuitas: in scholis Theologi, iuris cõsulti, & Medici: nec tamẽ hi sine grammaticis, philosophis et Mathematicis uel tales euasissent,

uel

uel doctrinam ſuam conſeruare & propagare poſſent. Sed his omiſsis ad reliqua pergamus.

Primus dialogos conſcripſit.

Quòd eam orationis formam, ut opinor, proximè ad familiarem ſermonem accedere, magnamq́; habere in diſputando & commoditatem & delectationem exiſtimauit. Acceſsit & illud fortaſſe, quòd ea occaſione amicos celebrare & immortalitati conſecrare uoluit.

Platonis diſcipuli duo, Speuſippus, Olympiade 108 quem ſecutus eſt Xenocrates, Olympiadis centeſimæ decimæ anno ſecundo: tum Polemo. deinceps ſequitur Crates: cuius diſcipulus fuit Arceſilas, Nouæ Academiæ fundator: Olympiade 120. Docuit: Verum & certum nihil eſſe, ut nec falſum. Cohibendam aſſenſionem ab omni re. Scientiam nullam rerum eſſe, ſed tantùm opinionem. Nihil eſſe affirmandum ſapienti. Probabilia multa uideri, multa improbabilia.

Arceſilas nouæ Academiæ fundator.

Dicitur etiam Ἀρκεσίλαος. Laertius triplicem facit Academiam, ueterem, cuius autor

tor fuerit Plato: mediam: quam instituerit Arcesilas hic: & nouam, cui præfuerit Lacydes. Græca sic habent Πλάτων ὁ τὴν ἀρχαίαν ἀκαδημίαν συστησάμενος: ἀρκεσίλαος, ὁ τὴν μέσην ἀκαδημίαν εἰσηγησάμενος: Λακύδης, ὁ τὴν νέαν ἀκαδημίαν φιλοσοφήσας. *Quæ disciplinæ cùm in plerisque inter se consentirent, & hunc scopum tenerent: in tanta humanæ mentis caligine, rerumque & obscuritate & uarietate, nihil temerè esse affirmandum, nec pertinaciter semel approbatæ sententiæ inhærendum: alij in hac sententia uehementiores, alij remissiores fuerunt: in eo laudandi omnes, quòd imbecillitate humani ingenij cognita, monuerunt, non præcipitandum esse iudicium: sed aliorum quoque sententias audiendas, expendendas, ad easque considerandas adhibendum & tempus & diligentiam. Ad hunc modum secta Academica probari potest: quos (ut de Stoicis antè diximus) iniquum petijsse, ut æquum ferrent, probabile est: hoc est, affirmasse nihil certò posse percipi, ut temeritatem & pertinaciam hominum quiduis & temerè opinantium, et mordicus retinentium inhiberent, & ad mediocritatem reuocarent. Qua de re operæ precium esse duxi, quædam Ciceronis loca ascribe-*

ſcribere. Nam quem alium facilius perſuaſurum bonæ indolis adoleſcentibus exiſtimem, ut & à rixandi inſania abhorreāt, & ſobriè modeſteq; philoſophentur? Is igitur, diſertiſſimus ſui dogmatis patronus, in Lucullo ſic ſcribit: Reſtat unum genus reprehenſorum: quibus Academiæ ratio non probatur. quod grauius ferremus, ſi quiſquam ullam diſciplinā philoſophiæ probaret, præter eam, quam ipſe ſequeretur. nos autem, quoniam contra omnes dicere, qui ſcire ſibi uidentur, ſolemus, nō poſſumus, quin alij à nobis diſſentiant, recuſare. quanquam noſtra quidem cauſa facilior eſt, qui uerum inuenire ſine ulla contentione uolumus, idq; ſumma cura, ſtudioq; cōquirimus. etſi enim omnis cognitio multis eſt obſtructa difficultatibus: eaq; eſt & in ipſis rebus obſcuritas, & in iudicijs noſtris infirmitas, ut non ſine cauſa & doctiſſimi, & antiquiſſimi inuenire ſe poſſe, quod cuperent, diffiſi ſint: tamen nec illi defecerunt: neque nos ſtudium exquirendi, defatigati relinquemus: neque noſtræ diſputationes quidquam aliud agunt, niſi ut in utranq; partem dicendo & audiendo eliciant, & tanquam exprimant aliquid, quod aut uerum ſit, aut ad id quàm proximè accedat. Neque inter

nos

nos & eos, qui se scire arbitrātur, quicq̄ inter est, nisi quòd illi nō dubitāt, qn ea uera sint, quæ defendūt: nos ꝓbabilia multa habemus, quæ sequi facilè, affirmare uix possumus. Hoc aūt liberiores & solutiores sumus, quòd integra nobis est iudicandi potestas, neq; ut omnia, quæ præscripta, & quasi imperata sint, defendamus, neceßitate ulla cogimur. nam cæteri primùm antè tenētur astricti, quàm, quid esset optimum, iudicare potuerunt: deinde infirmißimo tempore ætatis, aut obsecuti amico cuidam, aut una alicuius, quem primum audierunt, oratione capti, de rebus incognitis iudicant, & ad quancunq; sunt disciplinam quasi tempestate delati, ad eam tāquam ad saxum adhærescunt. Nam quòd dicunt, omnia se credere ei, quem iudicent fuisse sapientem: probarem, si id ipsum rudes & indocti iudicare potuissent. Statuere enim, qui sit sapiens, uel maximè uidetur esse sapientis. sed, ut potuerunt, omnibus rebus auditis, cognitis etiam reliquorum sententiis, iudicauerunt: aut re semel audita ad unius se autoritatem contulerunt. sed nescio quo modo plerique errare malunt, eámque sententiam, quam adamauerunt, pugnacißimè defendere, quàm sine per-

pertinacia, quid constantissimè dicatur, exquirere. Idem proœmio, primi libri de Natura Deorum: De RELIGIONE *tam uaria sunt doctissimorum hominum, tanq; discrepantes sententiæ, ut magno argumento esse debeat, causam, id est principiũ philosophiæ, esse inscientiam, prudenterq; Academicos à rebus incertis assensionem cohibuisse. quid est enim temeritate fœdius? aut quid tam temerarium, tamq; indignum sapientis grauitate, atque constantia, quàm aut falsum sentire, aut, quod non satis exploratè perceptũ sit, & cognitum, sine ullà dubitatione defendere? Idem, proœmio 2. de diuinatiõe: Quod genus philosophandi minimè arrogans, maximeq; & constans, & elegãs arbitraremur, quatuor Academicis libris ostẽdimus. Idem proœmio 2. de Officijs. Occurritur nobis, & quidem à doctis, & eruditis, quærentibus, satis ne constanter facere uideamur, qui, cũ percipi nihil posse dicamus, tamen & alijs de rebus disserere soleamus, & hoc ipso tempore præcepta officij persequamur. Quibus uellem satis cognita esset nostra sententia: non enim sumus ij, quorum uagetur animus errore, nec habeat unquam, quid sequatur. Quæ enim esset ista mens, uel quæ uita potius, non*

solum

solùm disputandi, sed etiam uiuendi ratione sublata? nos autem, ut cæteri, qui alia certa, alia incerta esse dicunt, sic ab his dissentientes alia probabilia, contra alia improbabilia esse dicimus. quid est ergò, quod me impediat, ea, quæ mihi probabilia uideantur, sequi, quæ contrà, improbare? atque affirmandi arrogantiam uitantem, fugere temeritatem, quæ à sapientia dissidet plurimum? contra autem omnia disputatur à nostris, quòd hoc ipsum probabile elucere non posset, nisi ex utraque parte causarum esset facta contentio. Considerent hæc adolescentes non in philosophorum tantùm, sed & in eorum disputationibus, qui non tam argumentis & rationibus quàm autoritate nituntur siue diuina, siue humana, siue utraque: diuinamq; opem implorent, ut fundamenta salutis firma & inconcussa teneant: in cæteris, subtilibus magis quàm necessariis controuersiis, sese præbeant æquos & moderatos: neque plaustris conuiciorum onerent dissentientes, hostiliue odio persequantur: sed illud cogitent, quod humanissimè ab Epicteto dictum, & à Georgio Plethone Gemisto dilucidius ad hunc modum est repetitum: Cogitãdum in nostra esse potestate nos ipsos,

ut administremus res nostras pro opinionib. & insitis, & existere solitis: alienos autem animos non planè habere nos in potestate, uerùm illis etiam necesse esse id sequi, quod ipsis optimum uideatur: neq; ulla ratione fieri posse, ut quid aliud agant, præterquam id quod bonum existiment. Aut igitur illis etiam à nobis esse demonstrandum, è re ipsorum non minus fore, si sententiam nostram amplectantur: aut quandiu id præstare nequeamus: nosmetipsos magis, quàm illos, ea de causa esse accusandos, eò quòd illis persuadere nequeamus. Itaque hac etiam in parte benè nobiscum agetur, si operam dederimus, ne hominibus irascamur. Sed nos ad institutum redeamus, ne κακόζηλοι & impotentis animi homines, nos Pyrrhoniis argutiis fauere censeant: in quibus tamen uti permulta sunt uana & friuola: sic nonnulla etiam nec inutilia, nec refutatu facilima. Liber est in manibus, Legat qui uolet, sed cum iudicio: ut nec captionibus irretiatur, & ut ueritatem æquis auribus & animo candido admittat.

Hunc secutus est Lacydes, Olympiadis 134 anno quarto: quem autorem nouæ Academiæ Laertius facit, ut Arcesi-

cesilam mediæ. Deinde successit Carneades, Stoicorum hostis acerrimus. Olympiade 162 moritur. Postremus Academicæ sectæ defensor Clitomachus fuit, qui & aliarum disciplinarum sententias apprimè tenuit. Aristoteles, qui in Lyceo inambulando Peripateticis originẽ dedit, natus Olympiadis 99. anno tertio, docuit: Summum bonum actionem usumq; uirtutis esse, in uita perfecta. Sapientis esse, non carere affectionibus, sed eas moderari *(ἀπάθεια, μετριοπάθεια.)* Beatitudinem trium bonorum, animi, corporis & fortunæ complementum esse. Virtutes mediocritates esse uitiorum. Prouidentiam Dei ad cœlum Lunæ usque protendi. Animam continuatam esse motionem, id est, ἐνδελέχειαν. Artes & scientias singulatim adhibita methodo tractauit.

Aristoteles.

Si etymologiam spectes, nomen hoc significat summam bonitatem & perfectionẽ. Nec ab re poeta scripsit:

Conueniunt rebus nomina sæpè suis.

Lucianus in libello q πρᾶσις βίων inscri-
1 2
bitur

bitur, cum omnes alios philosophos derideat, soli Aristoteli uocem humanam tribuit, ob sententias eius naturæ humanæ & rectæ rationi consentaneas. De hoc nos quoq; aliquando scripsimus uersiculos aliquot, quos, ut adolescentes ad scripta huius uiri legenda excitentur, subycere uisum est.

Naturæ pius interpres morumq; magister
Summus Aristoteles pleraq; ritè docet.
Vicit hic in quouis stadio ueteresq; nouosq;:
Et nullos habuit qualibet arte pares.
Hunc bene cognoris: omnes cognoueris: omnes
Hauserũt huius gurgite quicquid habẽt.
Quid sit Amaltheæ cornu si scire laboras:
Quid sit: Aristotelis lectio sola dabit.
Sed perdifficiles nodos habet optimus autor,
Obscurum breuitas hunc quoq; sæpè facit.
Sæpius inducit tenebras librarius error,
Multaq; de scriptis interiere uiri.
Forsan & ignaui compendia stulta sequẽtes,
Scripta uiri multis dissecuere modis.

Qui in Lyceo inambulando Peripateticis originem dedit.

Non ut aly philosophi, qui τῶν διδασκαλικῶν ἐπιβεβηκότες θρόνων *è superiore loco docebant, sed familiariter quasi cum amicis collo-*

colloquens, auditores suos inter deambulandum in porticu Lycei Apollinis erudiebat: eademq; opera & ualetudini dabat operam longa sessione defatigatæ, & munere præceptoris fungebatur.

Docuit, summum bonum actionem usumq; uirtutis esse in uita perfecta.

Improbauit ignauam uirtutem & in ocio delitescentem, si tamen uirtus ignaua esse potest. Pertinet autem hoc ad uitam ciuilem, non philosophicam: cuius summum bonum in inuestigatione & contemplatione ueritatis collocatur. Summum bonum autem intelligenda est felicitas siue beatitudo, ad quā uirtute perueniri iudicauit Aristoteles. Est enim uirtus nō ipsa felicitas, sed uia et aditus ad felicitatem: cuius unicus largitor est Deus. Addit autem, in uita perfecta, ætatis ut opinor habita ratione, quòd adolescentia rerum uita imperita, discendo magis occupatur quàm agendo. Senium uerò parum differt ab infantia. Mediam igitur ætatem & constantem actioni uirtutis aptissimam iudicauit: sic tamen, ut ab ea nec senectus excludatur: id quod in Catone suo docet Cicero

ro. Vtcunq; ſit, iſta quidem ratione maior uitæ pars infeliciter tranſigitur, uel dormiendo, uel ægrotando, uel ſeruitutem ſeruiendo, uel curando corpore, uel adoleſcentiæ intemperiis, uel delyrio ſenectutis. O miſeram felicitatem, cuius maximam ſibi partem uel ignauia uel calamitates uendicant.

Sapientis eſſe non carere affectionibus, ſed eas moderari.

Affectus enim à natura non fruſtra eſſe datos, neq; omnes eſſe uitioſos ſed ad uitæ actiones neceſſarios, rectè ſenſit.

Beatitudinem trium bonorum, animi corporis & fortunæ complementum eſſe.

Hæc cum rariſſimè coniungātur, uel nunquam potius in hac uita: ne felicitas quidem ſolida in hac uita quærenda eſt. Sed ut, Horatio autore, cum ſine uitijs naſcatur prorſus nemo, optimus ille eſt, qui minimis urgetur: ſic is feliciſſimus habendus, cui pauciſſima deſunt.

Virtutes mediocritates eſſe.

Vitioſæ ſunt ἐλλείψεις τε καὶ ὑπερβολαί· μεσότητες *uerò uirtutis nomen obtinent. Mirū hoc imperitis uidetur, qui potius excellentiam*

am quàm mediocritatem uirtuti conuenire putant. Sed illa ipsa uirtutis excellentia quæ putatur, est mediocritas, & quanto magis excellit, tantò longius ab extremis recedens mediocritatem consectatur.

Prouidentiam Dei ad cœlum Lunæ usq; protendi.

In hanc sententiam impulsus est uarietate & inconstantia rerum humanarum, offensus aduersis casibus optimorum uirorum, & successibus improborum. Nec mirum hoc tanto uiro accidisse, cum ignoraret causam calamitatum humanarum, quam solæ sacræ literæ docent.

Animam continuatam esse motionem.

Id est, uitam & motum afferre corpori. Effectum potius animi quàm naturam descripsit. Nec enim docuit quid esset anima, sed quid efficeret. Sunt etiam qui putent, Aristotelem non tantùm Dei prouidentiam in rebus humanis: sed etiam animi immortalitatem sustulisse. Quæ si eius sententiæ fuerũt: relinquendus est hac in parte. Neque enim, quem in multis probes, eum in omnibus sequi est necesse.

Artes & ſcientias ſingulatim adhibita methodo tractauit.

Earum rerum quas docet definitiones & diuiſiões tradit, & cauſas inueſtigat. Quod etſi Plato quoq; fecit, & alij philoſophi: tamẽ ſparſim illi hoc præſtant, neq; ferè ullius doctrinæ integrum quaſi corpus conficiunt. τῆς γὰρ μεθόδου ἐστὶ τὸ σωματοποιεῖν τὰς τέχνας τε καὶ τὰς ἐπιστήμας. *Methodus hoc præſtat, ut uelut abſolutum corpus ſuis membris, ita & artes omnibus ſuis partibus conſtent, utq; nec deſit nec redundet quicquam. Vnde artis differendi, cuius ſobriè adhibitæ munus, hoc eſt, excellentia perſpicitur.*

Huic in ſchola ſucceſſit Theophraſtus, Olympiade 114. qui docuit: Cum calamitatibus non cõſtare uitam beatam. Deinde, Strato Phyſicus, Olympiade 123. Poſt Stratonem Lyco Troadeus, Olympiade 127.

Cum calamitatibus non conſtare uitam beatam.

Maluiſſe uidetur Theophraſtus uerè quã magnificè loqui, ac more populari. Quo nomine ſunt qui eum traducant, quaſi neruos uirtutis inciderit, eiq; multum derogarit. Facit hoc quidẽ uirtus, ut æqore animo calamitates

tates

tates ferantur: & innocētiæ subsidium rebus asperis opponit. Mauult etiam uir bonus res aduersas perpeti, quàm à uirtute desciscere: quòd uitia maius malum iudicat quàm calamitates. Soli tamen pij in ærumnis beati esse possunt, qui diuino præmio se consolantur. Nam quòd Epicurum scripsisse ferunt, sapientem etiam in tauro Phalaridis dicturum, Quàm suaue est hoc? ironiam esse puto, & sarcasmum, ad Stoicam magniloquentiam deridendam, pertinentem.

Aristippus Cyrenensis, unde Cyrenaici prodierunt, qui docuit. Summum bonum esse motum iucundũ sensus mouentem, id est, uoluptatem corporis. Dolorem summum malum esse. Voluptatẽ animi finem bonorum non esse. De rebus præteritis aut futuris nullam esse uoluptatem, sed de præsentibus solum. Vacuitatem doloris non esse uoluptatem. Dolores corporis quàm animi deteriores esse. Voluptates corporis quàm animi meliores esse. Voluptatis causa tantũ expeti uirtutes: & doloris, fugi uitia.

Aristippus.

Aulicus hic philosophus fuit, & omnium, quod aiũt, horarũ homo. Quare & dogmata

i 5 eius

eius aulica potius sunt quàm philosophica. Atq; adeò nõ egisse aliud uidetur quàm derisisse cæteros philosophos, qui uirtutẽ & scientiam tantoperè prædicarent: ut adhuc fit in aulis & conuiuijs procerũ & diuitum. Qui, ut Satyricus ait, centum Græcos, hoc est, homines doctos & philosophos, curto centusse licentur. Catullum enim potius audiunt & probãt, quàm Theologum aut philosophum. Sic autem nequam ille homo amicam suam compellat.

Viuamus, mea Lesbia, atq; amemus
Rumoresq; senum seueriorum.
Omnes, unius æstimemus assis.
Soles occidere & redire possunt.
Nobis cum semel occidit breuis lux,
Nox est perpetua una dormienda. Neq; uerò prolixa refutatione est opus, cum uel cæco appareat, Cyrenaicam philosophiam discrimen hominis & pecudis tollere, ad corpus, cõmune cum bestijs, omnia referentem. De dolore autem & uoluptate tam corporis quàm animi quid sentiendum sit: non est obscurũ. Motus enim uoluptatis naturalis est. Non igitur aspernanda est uoluptas, nisi adiunctam habeat turpitudinem. Dolorem etiam ipsa natura auersatur. Rectè igitur uitatur

dolor,

dolor, nisi aut necessitas, aut honestas eũ ferre cogat. Iam si comparatio uoluptatũ & dolorum instituitur: & si extra controuersiam est, animum humanum nobiliorem & præstantiorem esse corpore: quis dubitet, animi & uoluptates & dolores tantum superare dolores & uoluptates corporis: quantum animus corpori præstat? Hæc ita in promptu sunt, ut disputatione non egeant. Quotus quisque tamen reperitur, qui etsi assentitur Aristoteli, uita tamen & moribus non potius exprimat Aristippum, & huius siue discipulum siue compilatorem Epicurum? Quam peruersitatem Iuuenalis insectatur, his uersibus:

Vltra Sauromatas fugere hinc libet, & glacialem
Oceanum: quoties aliquid de moribus audẽt
Qui Curios simulant et Bacchanalia uiuũt.

Voluptatis causa tantum expeti uirtutes.

Verum est, uirtutem effectricem esse uerarum uoluptatum, uitium uerò molestiarũ causam: illam suis præmijs, hoc pœnis rarò carere, præsertim in Repub. bene constituta. Sed tamen non tantùm ratio docet, honestatẽ uel sine

ſine præmijs & uoluptatibus expetendã eſſe: uitia uerò, etiam adiunctis præmijs & uoluptatibus, ne dum impunitate propoſita, fugienda & aſpernanda eſſe: ſed etiam multis hiſtoriarum exemplis idem comprobatur. Boni enim uiri, ut ait Horatius, oderunt peccare uirtutis amore: & rectè faciunt, ut Deo & naturæ pareant, etiamſi ab ingratis hominibus aut nullam, aut malam gratiam expectent. Illud quidem uerum eſt, uulgus hominum præmijs & pœnis magis moueri, quàm ipſa honeſtate: & bonorum etiam uirorum animi ſæpè quaſi remolleſcunt, cum ſuis laboribus fortunam reſpondere non uident.

Huius diſcipuli inſignes fuerunt. Antipater Cyreneus, poſt hunc, Epitides. Deinde Paræbates, tum Hegeſias, Hegeſiacorum princeps, qui docuit: Finem bonorum eſſe uoluptatem, ut malorum dolorem. Vtilitatis tantum cauſa expeti uirtutes. Vitam beatam nuſquam conſiſtere poſſe, in tanta fortunæ uarietate & incertitudine. Natura nihil eſſe iucundũ aut contrà, ſed opinione.

Hegeſias.

Hic πεισιθάνατος cognominatus fuit, quòd commemoratione malorum uitæ, multos ad conſci-

conſciſcendam ſibi necem impuliſſet. Quod argumentum in Platonis Axiocho repetitur, ac potius ab Hegeſia repetitum eſt.

Finem bonorum eſſe uoluptatem, ut malorum dolorem.

Summum bonum, ut & Delphico oraculo ait Ariſtoteles, non tantùm optimum & pulcherrimum, ſed etiam ſuauiſsimum & iucundiſsimum eſt. Ad ſummum uerò bonum, hoc eſt, Deum ipſum, uirtute perueniri: & ſacræ & profanæ literæ conſentiunt. Hæc igitur opinio de præſtantia uoluptatis (modò uis uerbi rectè intelligatur) tum demum rectè reprehendi uidetur, cum uirtus excluditur, & uitium admittitur. Ac difficile ſanè eſt, negare dolorem ſummum eſſe malum: cum ſacræ literæ impijs hominibus, corporis atq; animi cruciatus, ut grauiſsimum ſupplicium, mini tentur. Quòd ſi dolor miſeros facit: quidni uoluptas beatos? Neq; uerò mox ad ſenſuum illecebras, cum pecudibus communes, decurrendum eſt (etſi ne hæ ipſæ quidem, quarum eſt, etiam Ciceronis conceſſu, Stoicos nimium admirantis, naturalis quidam motus, aſpernandæ uidentur: ſi poſſint ſalua pietate & honeſtate ciuili cõtingere) ſed ſpectetur tranquillæ

quillæ & bene sibi consciæ mentis gaudium: & ea quoq; corporis affectio, eaq; uitæ totius ratio, ut homini aut bene sit, aut certè nõ malè. Quòd si uirtus neq; fructum neq; suauitatem ullam coniunctam haberet: quid ea esset aliud, nisi carnificina quædam, perpetuis occupata laboribus atq; doloribus? Isocrates certè quidem (scriptor, ut mihi uidetur, in plerisq; suis consilijs & præceptis, incorruptum naturæ iudicium, sine ullis monstrosis opinionibus, secutus) uirtutem eo nomine cum primis commendat, quòd sit uerißimarum uoluptatum effectrix. Sed hæc alij disceptẽt.

Vtilitatis tantùm causa expeti uirtutes.

Scilicet, à uulgo hominum. Quanquam, si uera fateri uolumus, uix quisquam reperietur, qui perpetuis laboribus & doloribus honestatis solius causa confici uellet, nisi uel in hac, uel in futura uita, præmium aliquod, tantis ærumnis dignum, speraret: id quod à Ludouico Viue non sine causa mihi proditũ esse uidetur. Ea enim est humani animi imbecillitas, ut sola recti conscientia niti & contentus esse uix poßit, sed bene etiam sibi esse uelit, & spe finis dura ferat, ut ait poëta.

Vitam

Vitam beatam nusquam posse consistere, in tanta fortunæ uarietate & incertitudine, &c.

Si doctrina Peripateticorum de summo bono, quod ex bonis animi, corporis & fortunæ quasi confletur, uera est: ne hæc quidem sententia falsa uideri debet. Incidunt enim in hac natura imbecillitate frequentes animi perturbationes, errores, delicta, peccata: dolores & morbi corporis uitari non possunt: & fortunæ dominatus per omnes peruagatur. Quibus de causis fit, ut nihil sit aut esse possit semper & ab omni parte beatum, aliàs alijs molestijs atq; incommodis felicitatem interpellantibus. Qua de re lectu dignum est Lippi Brandolini paradoxon, quo defendit, frustrà quæri in terris solidam felicitatem, cum ne solida quidem ulla uirtus sit in terris. Nā uulgaris uirtus ea ferè est, quā Hegesias utilitatis tātùm cā dicit expeti. Naturalis enim sui amor, sibi bene esse uult, siue tu id uirtutē siue uoluptatē siue utilitatē appelles. Prudentiam itaq; magni facit uulgus, nō quia naturæ humanæ decus & ornamentū sit: sed quòd per eā & mala uitentur, & bona cōparentur: ac ne sapientes quidē, opinor, eam prudentiā laudarint, qua nihil nisi ærumnæ, quæratur.

Vnde

Vnde illud Euripidis: Odi ſapientem qui ſibi ipſe non ſapit: & Ariſtoteles eam dicit eſſe rationis uirtutem prudentiam, qua ea quæ ad uitam beatam pertineant, comparentur. Iuſticiam colunt plerique, ne uel malè audiant, uel pœnas dent. Fortitudinem ut ſua tueantur, ut ſe à contemptu & iniuria uindicent; ut res neceſſarias & utiles acquirant. Temperantiam ideò non aſpernantur, quòd ea & rem familiarem & ualetudinem & famam conſeruare uidetur. Sed ſi hæc commoda atque incommoda ſuſtuleris: uulgus hominum ne pili quidem faciet uirtutem, quamuis naturæ conſentaneam: ſed ſuis cupiditatibus & libidinibus omnes habenas laxabit. Nemo ſtudebit ſapientiæ: rapinis & furtis feruebunt omnia: deſeretur acies: patria prodetur: à nulla turpitudine homines perditi abhorrebũt. Quorum ego ſimulationem εἰρωνικῶς ab Hegeſia taxatam fuiſſe conijcio.

Natura nihil eſſe iucundum aut contrà, ſed opinione.

Videtur ſpectaſſe uarias hominum delectationes: unde fit, ut ea quæ alijs ſpectatu, auditu, guſtatu, tactu, olfactu, cogitatu iucunda ſunt, uehementer aliorum ſenſus atque animos offendant. Hinc Horatius:

Tres

Tres mihi cõuiuæ propè dissentire uidentur,
Poscentes uario multum diuersa palato.

Fortassis igitur non planè absurdum est, in specie suauitatem aut molestiam opinione cuiusq; metiri, propter [redacted] *temperamen-* [redacted] *in quorum corporibus n*[redacted] *redundat: sed temperies quædam existit. In genere autem aliquid esse iucundum & molestum, non opinione, sed ipsa natura, ex eo constat, quòd omne animantium genus, cibo & potu delectatur, immoderato frigore aut æstu offenditur. Et sic de reliquis. Homines autem habent multa superuacanea spectacula atq; artificia, ut & ἐπεισάκτους ἐπιθυμίας, hoc est, cupiditates non naturales, sed quasi peregrinas & aduenticias: cuiusmodi sunt, monstrosæ libidines, deliciæ cupediarum, ornatus & magnificentiæ in uestitu, ædificijs & similibus rebus affectatio. In quibus cum naturæ sinceritatem non sequantur: alijs aliud placere non est mirum. Hinc etiam fit, ut nemo omnibus satisfacere queat.*

Anníceris, Annícetiorum fundator, cenſuit, uitam beatam conſtare hic poſ-

se,etiamsi doloribus iucundæ res permi-
sceantur.

Videmus creuisse ambitionem philosopho-rum, & quemlibet nouum autorem haberi uoluisse,leuiter [redacted] *uete-rum* [redacted] *ipsum* [redacted] *quod at-tinet, eam intellexit opinor uitam beatam, cui plus insit boni quàm mali. Qua de re di-sputat Euripides, ne constare quidem uitam humanã posse, nisi plus in ea esset boni quàm mali. Prudentiæ certè quidem est, cum quæ-libet res duas habeat ansas, ut ait Epictetus, unam molestam tractatuq́ difficilem, alterã iucundam & tractabilem: eam apprehende-re, quæ manus quàm minimum offendat: & ex omnibus rebus, quod inest cõmodi, id ex-cerpere, augere, amplificare: incommoda ue-rò minuere, extenuare, & quoad eius fieri po-test, dissimulare atq́ obliuisci. Hunc scopum etiam Anniceris hic uidetur propositum ha-buisse. Quo quidem nomine laudandus est & imitandus.*

Aristippus μητροδίδακτος, id est, matre magistra usus, quem secutus est Theodo
rus

rus ἄθε@, id est impius, siue sine Deō, unde Theodorij dicti. Docuit: Læticiā & gaudium summum esse bonum. Deos nullos esse. Tristiciam malum esse extremum. Bona esse, prudentiam & iusticiā. Mala uero, quæ illis sunt contraria.

Deos nullos esse.

Ignoscendum uidetur & huic Theodoro, & si qui alij huius fuerunt similes, ob anilia delirameta ueteris superstitionis. Quis enim homo mentis compos uel Orphicæ ματαιολογίας potius quàm Theologiæ portenta nō explodat: uel saxeos, ligneos, eburneos, atq; etiā argenteos & aureos illos Deos, ut res optimè cadat, mortuorum hominum imagines, non rideat & contemnat? Videtur igitur Theodorus hic non sustulisse Deum ex natura rerum: aut negasse diuinam prouidētiam: quæ ex rerum conditarum amplitudine, pulchritudine, ordine atq; constantia paßim perspicitur: sed stulticiam indoctæ plebis derisisse: quasi diceret, qui possunt isti esse Dij, qui spiritu & motu carēt, quorū et materia et artifex nota sunt? Qd' si planè Deū negasset: stultior fuisset his ipsis quos deridebat: cum suā cuiq; mēs paulò diligēti⁹ cōsiderāti, uiā quandā ad Deū aliquo modo agnoscendū aperiat.

Læticiam & gaudium summum esse bonum.

Εὐθυμίαν, ut & Democritus, magni fecit: Quæ si non est summum bonum: ab eo certè separari non potest, ut nec à miserijs tristicia. Laërtius addit, gaudium ex prudentia, dolorem propter amentiam. Animi igitur uoluptatem è cultura mentis oriundā probauit.

Bona esse prudentiam & iusticiam.

Cur uerò non & temperantiam & fortitudinem adiecit? Aut si quaternio uirtutū ei displicuit, cur non una iusticia contentus fuit, quā omnes uirtutes contineri, Græcus uersiculus affirmat:

Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στι.

Nouus scilicet autor haberi uoluit, ac Platone uideri doctior. Nisi fortè malam putauit temperantiam, quæ non omnibus uoluptatibus habenas laxet: malam item fortitudinē, quæ laboribus, periculis, doloribus exponat? Sed & iusticiam ista ratione aspernari debuit, quæ multis abstinere iubet, quibus frui desideres. Sed de nexu uirtutum primo libro & tertio de Officijs satis est dictum, unaq; causa explicata, cur sic distinctæ fuerint.

Pythagoras, Italicorum philosopho-

rum

rũ princeps, auditor Pherecydis, Olympiade 60. docuit. Ex numeris omnia cõstare. Monadem initiũ rerum esse. Dyadem rerum esse materiam. Inde numeros nasci, puncta, lineas, plana, corpora, &c. Mundum animantem esse & intelligentem. Omnia quæ sunt in inferiori aere, mortalia esse. Quæ in superiori, immortalia & diuina. Animam immortalẽ esse. Aerem plenum esse dæmonibus & Heroibus: inde somnia & diuinationes immitti hominibus. Virtutem harmoniam esse. Beatum esse qui animo & ingenio ualeat. Abstinendum à carnibus, ouis, fabis. Se nõ esse sapientem, sed philosophũ, id est, sapientiæ amantem, professus est.

De hoc Diogenes Laërtius ita scribit: Σωκράτης ἐν διαδοχαῖς φησιν αὐτὸν ἐρωτηθέντα ὑπὸ λέοντος τοῦ φλιασίων τυράννου, τίς εἴη; φιλόσοφος εἰπεῖν. καὶ τὸν βίον ἐοικέναι πανηγύρει. ὡς οὖν εἰς ταύτην οἱ μὲν ἀγωνιούμενοι, οἱ δὲ κατ' ἐμπορίαν, οἱ δέ γε βέλτιστοι ἔρχονται θεαταί· οὕτως ἐν τῷ βίῳ οἱ μὲν ἀνδραποδώδεις ἔφη φύονται, δόξης καὶ πλεονεξίας θηραταὶ, οἱ δὲ φιλόσοφοι τῆς ἀληθείας. *Cicero 5 Tusculana. Omnes qui in rerum contemplatione studia*

 ponebant,

ponebant, ſapientes & habebantur & nominabantur: idq́ eorum nomen uſq; ad Pythagoræ manauit ætatem: quem (ut ſcribit auditor Platonis, Ponticus Heraclides, uir doctus inprimis) Phliūtē ferūt ueniſſe: eumq́ cum Leonte, principe Phliaſiorum, doctè & copioſè diſſeruiſſe quædam: cuius ingeniū & eloquentiam cum admiratus eſſet Leon: quæſiuiſſe ex eo, qua maximè arte confideret? at illū, artē qdē ſe ſcire nullā, ſed eſſe philoſophū: admiratū Leontē nouitatē noīs, q̄ſiſſe, quinā eſſēt philoſophi: et qd inter eos, et reliquos intereſſet? Pythagorā aūt reſpōdiſſe, ſimilē ſibi uideri uitā hominū, et mercatū eū, q haberetur maximo ludorū apparatu, totius Græciæ celebritate. Nā ut illic alij corporib. exercitatis gloriā, & nobilitatem coronæ peterēt: alij emēdi, aut uendēdi quæſtu, & lucro ducerentur: eſſet aūt quoddā genus eorū, idq́ uel maximè ingenuū, q nec plauſum, nec lucrū quærerēt, ſed uiſendi cauſa uenirēt: ſtudioſeq́ pſpicerēt, qd ageretur, & quo modo? item nos quaſi in mercatus quadā celebritate ex urbe aliqua, ſic in hāc uitā ex alia uita, & natura profectos, alios gloriæ ſeruire, alios pecuniæ: raros eſſe quoſdā, qui, cæteris omnib. p nihilo habitis, rerū naturā ſtudioſè intuerētur: hos

ſe

se appellare sapiẽtiæ studiosos, id est enim philosophos: & ut illic liberalißimũ esset spectare, nihil sibi acquirentẽ: sic in uita longè omnibus studijs cõtemplationem rerũ, cognitionemq́; præstare. Nec uerò Pythagoras noĩs solum inuentor, sed rerũ etiã ipsarũ amplificator fuit. Qui cũ post hũc Phliasiũ sermonẽ in Italiã uenisset, exornauit eã Græciã, quæ Magna dicta est, et priuatim, & publicè præstantißimis & institutis, & artibus.

Pythagoras, Italicorum princeps, auditor Pherecydis, Olympiade 60 docuit.

Hic ostenso aurato femore, artificiosè concinnato, simulatoq́; descensu ad inferos, cum etiam professus esset, animæ suæ munus hoc à Mercurio parente concessum, ut omnia quæ post obitum etiam ei accidisset, meminisset: tantam admirationem et autoritatem apud homines, huiusmodi præstigiarum ignaros, consecutus est, ut quicquid dixisset, oraculi instar haberetur, eiusq́; discipuli, doctrinæ suæ nõ aliã rationẽ afferrẽt, nisi τὸ αὐτὸς ἔφα. Quidã etiã Pythagoræ nomẽ ex eo illi fuisse inditũ perhibẽt, ὅτι οὐχ ἧττον τοῦ Πυθίου ἠγόρευε τὴν ἀλήθειαν, quod non minus uera loqueretur, quàm Pythius Apollo: nunquàm si Dijs placet ita mẽtitus,

k 4 quin

quin ambagibus uerborum, mendacia & impoſturam tegeret.

Aio te, Aeacide, Romanos uincere poſſe. &
Crœſus Halym ſuperans magnam peruertet opum uim.

Hinc λοξίας Apollo dictus, non tam ab obliquitate ſigniferi, in quo Sol curſum ſuum cōficit, quàm ab obliquis & ambiguis reſponſis. Nec minus λοξίας & obſcurus eſt Pythagoras, in ſuis illis ſymbolis. Recenſetur autē poſt alios, non ut ijs uel tempore uel dignitate inferior: ſed propter Ionicæ & Italicæ philoſophiæ diſtinctionem.

Ex numeris omnia conſtare.

Numerus, menſura & pōdus inſtrumēta ſunt hūanæ ſolertiæ ad res numerādas, metiēdas, ponderādas & diiudicādas: atq; adhibentur ad ꝓportiōes, ſimilitudines & diſſimilitudines rerū inter ſeſe ꝑſpiciēdas. Cū aūt ſint in quātitatis ꝑdicamēto: nō uideo ꝗd ꝑ ſe poſſint efficere. Voluit fortaſſis cōmēdare Arithmeticam, nō eā, ꝗ quantū in opib. augēdis ualeat, mercatores in utrāq; partem experiūtur: ſed eam, ſine qua nec Geometria, nec Aſtrologia, nec Muſica, nec ipſa deniq; philoſophia cōſta- *(re pōt.*

Monadē initiū rerū eſſe.

Hoc Simplicius ad Deum unū refert, ut & D. Pau-

ſus ait, unum eſſe in quo, et ex quo, & per quē omnia.

Dyadem rerum eſſe materiam.

Autorem rerum Deum uidetur intellexiſſe, ut modò dictum eſt, monadem, eiq; materiam, quam Dyadem appellat, tanquam cauſæ effectrici effectum ſuum adiungere. Nihil tamen affirmo: quòd Pythagoras, propter ſua ænigmata & ſymbola, non minus uerè quàm Heraclitus, σκοτεινὸς poſſet appellari. Eraſmus ſcripſit, ſtulticiæ eſſe in eo intelligendo multum ſe fatigare, qui de induſtria id egerit, ne intelligeretur.

Inde numeros naſci.

Ambiguum eſt, utrum monadem ſolam, an cum dyade coniunctam intellexerit. Vnitatem numerorum eſſe principium, conſtat inter Arithmeticos, ut punctum continuæ quantitatis inter Geometras, unde lineæ, ſuperficies & corpora propagentur.

Mundum animantem eſſe & intelligentem.

Solem & ſtellas, θεοὺς ὁρατοὺς facit Plato: cum alij ſint ἀόρατοι. Ac profectò abſurdum uidetur diligentius cogitanti, cum uitam inferiorum rerum à cœlo & Sole proficiſci, penè manibus palpemus: cum muſcæ

& formicæ uiuant: ingentibus istis & splendidissimis corporibus inesse uitam, negare. Sed quia ista de re nihil apertè affirmant sacræ literæ, & hæc sententia idololatriæ occasionem præbere potest, nec ad salutem ista scitu necessaria sunt, in medio ea relinquamus. Pythagoras autem, dum Mundum animantem fecit, fortaßis innuere uoluit, Mundum diuina prouidentia gubernari, quæ uera & pia sententia est. Sin, more Stoico, mundum unum quoddam ingens animal fecit: ualeat cum sua opinione. Sic enim saxa & montes & maria & stipites, animantes erunt atque intelligentes. Neque enim ulla animantis pars, tantisper quidem dum incolume fuerit, sensûs expers est. Si quis tamen Stoicum illud animal sic excusare uoluerit, ut eos allusisse putet ad uiuificam naturæ uim, quæ in omnibus mundi extremis etiam & infimis partibus cernatur: non magnoperè repugnabo. Sed tamen omninò conditorem à rebus conditis discernere, pietatis est atque utile. Nam confusio hæc perinde est, atque si quis dicat, egregium ædificium esse animans atque intelligens, quod ab architecto animante atque intelligente constructum fuerit: quód-

que

que uiri sapiẽtes in eo habitent. Quis uerò usus est huiusmodi ἀκυρολογιῶν? Magis placet illud Stoicorum (quod ipsi tamen raro observant) ὁ σοφὸς ἐυθυῤῥήμων ἔστω, id est, sapiens rectè loquatur.

Omnia quæ sunt in inferiori aere, mortalia esse.

Præter animos (inquit Cicero) Deorum immortalium munere hominibus datos. Aristoteles autem (ut dictum est) prouidentiam quoque diuinam orbe Lunæ terminauit: quòd immortalis naturæ procuratione caduca & mortalia hæc indigna uiderentur: & Pythagoras elementa, & corpora quæ ex his constantur, non tam mortalia quàm mutabilia esse statuit, cum apud Ouidium sic loquatur:

Non perit in toto qcq̃ (mihi credite) Mundo,
Sed mutat, faciemq́, nouat, nasciq́, uocatur.

Quæ in superiori, immortalia.

Voluntate Dei, ut ait Plato, nõ suapte natura. D. aũt Petrus affirmat, Mũdi machina igne resoluta, fore nouos cœlos & nouã terrã.

Animam immortalem esse.

Non hoc tantum docuit, sed in uaria eam transire corpora, aliàs hominum diuersæ condi-

conditionis, aliàs brutorum & ferarum, pro cuiusque uitæ merito, ut suprà dictum est. Eas uerò solas animas, quæ philosophiæ præceptis obtemperauerint, redire in cælos, ut testatur Philolaus hoc uersu:

Ἔσσεαι ἀθάνατος, θεὸς, ἄμβροτος, οὐκ ἔτι θνητός.

Dogma hoc Pythagoricum μετεμψύχωσις *ac potius* μετενσωμάτωσις καὶ μεταγγισμὸς, *quasi transuasationem dicas, appellatur: quam Mercurius Trismegistus improbat, quòd humanus animus non nisi in humano corpore suo fungi munere possit, & hac prærogatiua sit diuinitus donatus, ne in cuiusquam bestiæ corpus transeat. Abhorret hæc eadem & à sacrarum literarum autoritate: quæ non μετεμψύχωσιν: sed ἀνάστασιν τῶν νεκρῶν docet.*

Aerem plenum esse dæmonibus & heroibus. inde somnia & diuinationes immitti hominibus.

Hinc tanta est apud poetas Deorum multitudo, qui non aeri tantum, sed & terræ & mari & syluis & montibus atque adeò fontibus etiam & pratis suos Deos & Deas attribuerunt: significantes, opinor, uim quandam diuinitus insitam rebus conditis, quæ Natura uulgò, & rectius quidem, dicitur. Sunt

etiam

etiam qui hoc argumento de aere utantur: Non est consentaneum (inquiunt) in terræ angustiis tantam esse animalium multitudinem, in tantis uerò aeris spacijs habitare neminem. Non abhorret hoc ne à sacrarum quidem literarum autoritate, quæ non Tartareos tantum, sed etiam aerios dæmonas esse tradunt. Quòd si quis improbitatem nostri seculi consideret: non minus uerè, quàm facetè dixerit, terram non minus plenam esse dæmonibus, quàm uel aërem uel infernum.

Et heroibus.

Id est, animis præstantium uirorum, quibus nonnulli philosophi sedem lactei circuli, qui γαλαξίας Græcè dicitur, tribuunt.

Inde somnia.

Scribit Eusebius, Simonem magum habuisse dæmonas ὀνειροπομπούς, id est, immissores somniorum, quorum præstigiis simplicium animos deceperit, & in sui admirationem pertraxerit.

Et diuinationes.

Oracula ueterum, & uaticinationum plæraque genera, ministerio malorum dæmonũ (qui tamen amorem humani generis simulabant

bant) peragebantur. Deus autem cum dæmonibus, qui ab initio mendaces & homicidæ fuerunt, nihil omninò commercij nobis esse uoluit: sed perpetuas & capitales inimicitias intercedere. Quare nec somniis temerè adhibenda est fides: quòd sæpè ab impostore dæmone proficiscũtur: & res futuras ignorare præstat, quàm colludere cum Diabolo: qui, dum hominum cupiditatibus se subseruire simulat: id agit, ut incautos & minimè opinantes opprimat, & in exitium pertrahat.

Virtutem harmoniam esse.

Quid apud Musicos harmonia sit, non est ignotum. Cum autem ea uox ad animum transfertur, significatur omnium eius partium summa consensio: ut ratio præsit, appetitus uerò obtemperet: neque quicquam siue per iracundiam, siue cupiditate impellente admittat, quod rectæ rationi aduersetur. Hæc omniũ pulcherrima & suauissima harmonia est, & quauis symphonia præstantior. Appellata autem fuit à Pythagoricis συναρμογὰ τῶν τᾶς ψυχᾶς μερέων, *hoc est, coagmentatio quædam animi partium. Non absimili de causa etiam Aristoxenus Musicus animum harmoniam dixisse uidetur.*

Huius

Huius harmoniæ Musici, quorum dissoluta uita prouerbio locum fecit, perpetuò meminisse debent: & (quod monebat Diogenes) magis in eo elaborare, ut animi partes inter sese, quàm ut uoces consentiant.

Beatum esse qui animo & ingenio ualeat.

Animi bonis principatum rectè detulit: etsi corporis necessitates alia quoq; præsidia requirunt.

Abstinendum à carnibus, ouis, fabis.

Non carere superstitione hoc institutū uidetur, quòd magi persuasum habuerunt, se Diis fore gratiores, si omnibus rebus animatis abstinerent, & quàm frugalissimè uiuerent. Sed tamen temperantiæ & castitatis quoq; rationem habuisse uidetur: & discipulos suos hac ratione à libidinibus, peste ingeniorum, arcere uoluisse. Illud certè q̄dē constat, quò q̄s tenuius uixerit, quò grauiores & corporis & animi labores tulerit: eò facilius castitatē eū tueri posse. Quæ quidē eiusmodi res est, ut semel amissa, recuperari nunq̄ possit: & nihil p̄ter irritā pœnitentiā post se relinquat, ὅταν οὐδὲν πλέον ἔσται αἰνωμένοις.

Pytha-

Pythagoricum institutum fuit etiam ἐχε-μυθία πενταετὴς, nequaquam prætereundum, hoc præsertim tam garrulo & importuno seculo: quo imperitissimus quisque non modò quicquid in buccam uenerit, effutire: sed & chartis illinere, & in publicum emittere audet. Pythagoras autem contrà, suorum discipulorum nemini de ullo dogmate disserendi potestatem dabat, priusquam integrũ quinquennium audiendo & meditando modestissimè consumpsisset: ne quicquam temerè, & non satis cognitum, cum suo & præceptoris probro, & fraude auditorum, proloqueretur. Meminerint igitur adolescentes silentium inprimis esse discendũ, quod ubi probè tenuerint, & pectus solida & multiplici doctrina refertum habuerint: tum demum etiam loqui licere & disputare. Eadem enim ratio loquendi est, quæ imperandi. Nam ut is qui modestè paruit imperio, rectius imperat: ita qui tacere didicit, opportunè etiam loquetur.

Se non esse sapientem.

Acutè perspexit, ut uerè bonum ita etiam uerè sapientem præter Deum esse neminem: quòd omnia humana, imbecilla, imperfecta, multis uitiis, magna ignoratione rerum mul-

ta-

rarum fœdata & corrupta sint. Singulari admiratione hæc & prudentia & modeſtia digna eſt: imitatione autem omnium digniſſima: ea quidem lege & conditione, ut pectus cum lingua conſentiat: & non inanis tãtum uerborum ſtrepitus audiatur. Huius modeſtiæ cauſa & occaſio Pythagoræ fuiſſe uidetur oraculum Delphicum: quo tripos aureus à piſcatoribus in mari captus ſapienti dari iuſſus eſt. Qui cum ab aliis, qui tum ſapientes haberentur, ad alios tranſmiſſus fuiſſet: tandem Apollini ipſi, ut Deo ſapientiſſimo, conſecratus fuit.

Sed philoſophum.

Huius uerbi ea uis eſt, ut ex æquo ad omnes qui mentis & ſenſuum integritate fruuntur, pertineat. Nam Ariſtotele autore, & ipſa experientia teſte, πάντες ἄνθρωποι τοῦ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει: *omnes homines cognitionem & ſcientiam inſtinctu naturæ deſiderant. Sed* κατ᾽ ἐξοχὴν ἢ πλεονασμὸν τῆς μελέτης, *ad eos propriè translatum eſt, qui ætatem & operam omnem in exquirenda ueritate, ſtudióq; cognitionis & ſcientiæ conſumpſerunt.*

Huic ſucceſſit in ſchola Telauges filius.

lius. Deinde Xenophanes, qui docuit: Mundos esse infinitos. Dei naturam non esse specie humana, sed figura rotunda. Deum omnia uidere & audire. Quicquid natum est interire. Animam spiritum esse.

Mundos esse infinitos.

Nos uno contenti simus, & eo quidē tam amplo, ut uel unius terræ, quæ minima est mundi portio & puncti instar, nondum omnes partes nobis sint cognitæ.

Dei naturam esse non specie humana.

Si Deus mens & spiritus est: neque humanam speciem, nec quadratam, neq; rotūdam habet, quamuis omnium perfectissimam & capacissimam. sed ea forma est, quam ut ipse solus nouit, sic angustiæ nostrorum animorum nullo modo capere possunt.

Sed figura rotunda.

Fortassis cœlum & Mundum Dei opus, Deum esse opinatus est.

Deum omnia uidere & audire.

De hoc nemo sanus dubitat. Quis enim credat Deū quicquā ignorare, qui oīa cōdiderit ex nihilo? Quam sententiā in Byzātinæ no-

nostræ historiæ epilogo sic exposuimus:

Non oculi uideat faber? An nō audiat, auris
Cuius opus? Mēs cuius opus nō sentiat? absit.
Maiestate sua totum qui compleat orbem,
Ipse suum contemnat opus propriūq; laborē?
Nū iustus, pius et sanctus ꝓbet im ꝓba facta?
Et pia non ulla tandem mercede rependat?
Nū socors Deus est uel iniqua mēte tyrānus?
Scilicet insanæ sunt isthæc somnia mentis.
Nū stupor in superos tātus cadit? atq; libido
Tam fera? ————

Recte igitur Thales interrogatus à quodā, nū improba facta hominū laterēt Deū? Ne cogitata quidem respondit. Quod cū ita sit, & καρδιογνώστην esse Deum, & rerū omnium inspectorem ac uindicem cōstet: haud abs re mirari queas nostram & cæcitatem & stuporem & detestandam negligentiam: qui nec animos nostros à prauis cupiditatib. atq; affectib. repurgemus: nec in dictis & factis maiori moderatiōe & circūspectiōe utamur. Verū hui⁹ socordiæ cū Epicurea opinio, Deū aut negligere, aut leuiter curare, aut seuerè nō uindicare peccata hominū: tū praua exēpla maximæ partis, culpā sustinēt. Etsi qs nescit, non rectè fieri qđ exēplo, malo præsertim, fiat: sed qđ rationi consentaneū sit, quæ

regula est dictorum factorumq́ omnium.

Quicquid natum est interire.

Principium physicum est, quod etiam inuertere licet: quicquid interierit, aliquando fuisse natū, nec principio suo caruisse. Sic tamen accipiendum, nisi Deo aliud uisum fuerit. Alioqui & bonos genios, & animos hominum, quos Theologia conditos affirmat, philosophia capitis condemnauerit, etiā contra oraculum, quod negauit, ὅσιον εἶναι τῆς ψυχῆς θάνατον καταγνῶναι: hoc est, nefas esse, animum quasi capitis condemnare.

Animam spiritum esse.

Animi, quem quasi ἄνεμον, id est, uentum dici uolunt, uera natura nondum satis explorata est uel curiosissimis philosophorum. Quem alij & ortum & interiturum cū corpore; alij æternum, alij corpori superstitem, alij peripateticum & erronem faciunt. Eius autem uelut instrumentum atque uehiculum: alij sanguinem, alij subtilissimos & calidissimos sanguinis spiritus, alij diuinū qddam eum, & aliunde in corpus ingressum, esse censent. Quare nobis in his controuersiis illud satis esse debet, quod sacræ literæ docēt, animum humanum Dei quandam esse imaginem

ginem, & immortalem: & pœnas daturum scelerum, & præmia pietatis consecuturum.

Hunc secutus est Parmenides, qui docuit. Terram rotundam esse, & in medio uniuersi iacere. Duo esse elementa, terram ut materiam, ignem ut opificem. Rationem ueracem esse, sensus uerò fallaces. Eũdem esse Hesperũ & Luciferum.

Terram rotundam esse.

Hoc consensu Mathematicorum approbatur. Altitudines enim montium, & uallium profunditates eius rotunditati non plus obstare, quàm rotæ clauos, asserũt, ob immensam utiq; magnitudinem.

Et in medio uniuersi iacere.

Hoc est, Esse centrum Mundi immobile, nec collatam cum uniuersitate rerum, pluris esse, quàm punctum in medio amplissimi circuli. Quæ de magnitudine & paruitate dicuntur: proportione intelligenda sunt & collatione cum aliis. Sic Augusta per se, & cum uicinis oppidis collata, magna urbs est. Si autem Romæ, Venetiis, Lutetiæ Parisiorum; aut olim Babyloni comparetur: parua uidebitur.

Iacere.

Hoc est, Esse immobilem. Etsi enim Copernicus, excellens Mathematicus, Philolaï Pythagorici, ut opinor, opinionem secutus, cælum immobile esse, terram uerò moueri perhibet: tamen sensus communis hanc opinionem respuit. Quam & ipse non tam ex animo, quàm ad hypotheses suas stabiliendas, & motum syderum cōmodius explicandum, amplexus esse uidetur.

Duo esse elementa, terram ut materiam, ignem ut opificem.

Fortaßis ut nouus autor haberetur, aquã cum terra, aerem cum igni copulauit.

Rationem ueracem esse.

Scilicet, quatenus ratio est, nec contagio corporis, nec falsis opinionibus & praua consuetudine corrupta. Deinde certa materia rationi præfinienda est, in qua sese exerceat. Hæc uerò est uita humanæ gubernatio. Nãm in rebus non modò diuinis, sed naturalibus etiam mens sæpißimè obstupescit, hallucinatur, non reperit quò se uertat.

Sensus uerò fallaces.

Imò sensus integri & non impediti non minus ueraces sunt quàm ipsa ratio, atque

(in

(in homine certè quidem) nihil aliud sunt, nisi rationis instrumenta quadã. Mens adminiculo oculorũ uidet, aurium audit, narium olfacit, & sic de reliquis. Quòd autem baculus rectus aquæ immersus, curuus aut fractus, Sol in tanta immensitate & amplitudine uix bipedalis apparet: in causa est illic aqua, hic longißimum interuallum, & summa Solis altitudo, quæ uix uerbis pronunciari potest.

Eundem esse Hesperum & Luciferum.

Stella Veneris cum uesperi post occasum Solis oritur, Hesperus seu Vesperugo appellatur. Manè cum Solis ortum antecedit, Lucifer, Græcè ἑωσφόρος *seu* φωσφόρος *dicitur. Luciferi nomen, qua ratione attributum sit à Christianis illi genio, qui ob superbiam de cœlo præcipitatus perhibetur, quem Christus Satanam appellat, non satis intelligo: nisi quòd is genius cæteros angelos sic anteire sapientia & potentia creditus fuit, quemadmodum Lucifer cæteras stellas radiis & splendore uincit.*

In scholis huic successit Zeno Eleates Olympiade 70. qui dixit: Vacuum nihil esse. Oriri homines ex terra.

Omnia ex calido, frigido, humido & sicco nasci. Animam temperationem esse ex elementis.

Vacuum nihil esse.

Nam aer, cuius natura & mollis & mobilis, durioribus corporibus facilè cedit, complet omnia, quæ ab aliis non occupantur.

Oriri homines ex terra.

Corpora hominum è terra esse condita sacræ literæ docent: sed accessisse spiritum Dei, qui est melior pars hominis.

Omnia ex calido, frigido, humido & sicco nasci.

Scilicet, in hac inferiore natura, elementis eorúmque qualitatibus inter sese conspirantibus, uicißimq́; dissolutis. Vnde fit ut nihil intereat, sed formam tantum mutet. Vnius enim interitus est alterius ortus. Sic humanum corpus in terram resoluitur, ac fieri potest, ut in flores, herbas & arbores conuertatur, aut in uermes & serpentes. Quam mutationem inepti quidam ualdè pueriliter resurrectioni mortuorum opponunt, infinita Dei sapientia & potentia non considerata. Nam de uoluntate Dei sacris expressa literis nemo pius dubitat.

Ani-

Animam temperationem esse ex elementis.

De anima brutorum concedi hoc potest, quæ ob hoc ipsum mortalis est. Sed de mente & ratione quæ est spiritus & imago Dei, nequaquam. Alioqui hoc uno argumento & resurrectio corporum & immortalitas animorum tolleretur, & omnis pietas, omnis religio, uirtus omnis funditus euerteretur.

Hunc Leucippus secutus est, qui docuit. Omnia esse infinita, & inter se mutari. Quicquid est aut uacuũ esse aut corpus. Rerum initia atomos esse, Mundos esse infinitos.

Omnia esse infinita.

Difficile est pronunciare de philosophorũ sententijs, quòd non Heracliti tantum mos fuit τὸ σκοτίσαι, hoc est, tenebris inuoluere omnia, sed aliorum etiam consuetudo, sentire aliud, aliud loqui. Verùm enimuerò, ut illis suas opiniones, ita & nobis nostras de illis coniecturas afferre in medium, liberum esto. Si fallimur: cõsolemur nos eorum multitudine, qui in eadem sunt naui. Nam in tot dissensionibus, ut omnes rectè sentirent fieri nullo certè modo potuit. Quod igitur ad hoc dogma attinet:

attinet: si humanorum sensuum angustiæ spectentur: nullus unquam rerum naturæ terminus reperietur. Contrà autem ea mentis & rationis amplitudo est, ut etiam supra cælos euagetur. Rectius Plinius: Mundus (inquit) finitus est, sed infinito similis. Cur autem finitus sit, rationes afferuntur ab Aristotele. Fortaßis autem ἀόριστον dixit, quòd materia nullum certum terminũ, qui ὅρος Græcis est, nullam certam & stabilem formã obtineat, crebris obnoxia mutationibus, quãuis eadem materia semper maneat, ut paulò antè de corpore humano dictum est.

Quicquid est, aut uacuum esse aut corpus.

Aër qui cæteris corporibus cedit & locum præbet, ipse etiam corpus est, quia sensu aurium & tactus percipitur. Quare rectius sentire uidentur, qui uacuũ è natura rerum excludunt, nisi καταχρηστικῶς id uacuum dicatur, quod immensi aëris campi (ut Ausonij uerbo utamur) occupant.

Rerum initia atomos esse.

Τὸ ἄτομον Dialecticis est indiuiduum, physicis minutißimũ corpusculum, quod ob paruitatem nullam sectionem aut diuisionẽ admittit, qualia fortè illa sunt, quæ in radijs solaribus

laribus aliquādo nobis uolitare uidentur. Ex horum atomorū fortuito concursu & elementa omnia & mundum, ac potius mundos infinitos extitisse quidam aut opinati sunt: aut (quod uero propius uidetur) se opinari simularunt, ut nouū atq; mirabile aliquid, quantumuis absurdum, & ab omni ratione alienum, in mediū afferrent. Virgilius Ecloga 6.

Nanq; canebat, uti magnū per inane coacta
Semina terrarūq;, animaeq;, marisq; fuissent
Et liquidi simul ignis: ut his exordia primis
Omnia, & ipse tener Mundi cōcreuerit orbis.

Huic successit Democritus Olympiade 80. De atomis idem docuit quod magister. Animi tranquillitatem summum bonum esse, quam εὐεστὼ, εὐθυμίαν καὶ ἀκαμίαν appellabat.

Animi tranquillitatem summum bonum esse.

Rectè hic sensisse uidetur, & planè cum illo consensisse Aristoteles. Neq; enim tranquillus esse animus potest sibi malè conscius, uirtutis & sapientiae expers: neq; si corpori malè sit, aut res ad uictum cultumq; necessariae nō suppetant. Vno igitur uocabulo tria bonorū genera cōplexus est. Nam qui id proponit q'd sine alijs constare non potest: ea etiam utique com-

complectitur, quæ ad illud constituendum & absoluendum requiruntur.

Quam εὐεστώ.

Παρὰ τὸ εὖ ἑστάναι, *quasi bonum statum, uel* παρὰ τὸ εὖ εἶναι, *quòd alicui bene sit.*

Εὐθυμίαν.

Id est, bonum animum.

Ἀκαμίαν.

Παρὰ τὸ μὴ κάμνειν, *quòd beata uita sit laboris, doloris & defatigationis expers. Est & illud in Democrito memorabile, quòd ita fuit amore studiorum inflammatus, ut amplissimum patrimonium, dum sapientiam terra mariq; cõsectatur, negligeret. Cuius ita compos factus, ut in philosophia quinquercio, qui Græcis* πένταθλος *est, diceretur, eam esse uanitatem & stulticiam hominum deprehendit, ut perpetuo risu penè difflueret. Qua de causa Hippocrates ad eum, ut qui mentis errore afficeretur, accersitus, hoc elogio uirum excellentem, ornauit:* οὐκ ἄρα παρεφρόνεε Δημόκριτος, ἀλλ᾽ ἁπάντων ὑπερεφρόνεε, *id est, non utiq; Democritus delirauit, sed omnes ingenio superauit, uel omnes despexit. Nam uerbum* ὑπερφρονεῖν *utranq; interpretationem recipit. Huic cõtrarius fuit Heraclitus,*

qui

qui & stulticiam & ærumnas hominum perpetuò deplorasse fertur. Rectè autem in epigrammate quodam dubitatur, sit ne stulticia hominum ridenda potius, an miseria deploranda? cum utraq; sit maxima.

Huic successit Nausiphanes & Naucydes. Deinde Epicurus, Epicureorum autor, qui docuit. Summum bonum uoluptatem animi, quæ καταστηματικὴ, id est, stabilis dicitur, in non dolendo posita. Eam ex corporis uoluptate nasci. Summum malum dolorem animi, qui ex corporis dolore oritur. Virtutes uoluptatis causa comparari, & eas nihil esse, nisi uoluptatem pariant. De atomis idem docuit quod Democritus. Mundos innumerabiles esse. Imaginum quæ à rebus fluant, concursione nos uidere & cogitare. Animam non esse incorpoream, ideò interire unà cum animali. Solem & astra tanta esse, quanta oculis uideantur. Deum non curare res humanas. Nullam esse artem disserendi. Sensus perpetuò ueraces esse, nec falli nec refelli à re ulla posse.

Epicurus.

Ἐπίκουρος adiutorem significat. Hinc apud Homerum ἐπίκουροι uocantur, quos historici συμμάχους

συμμάχους appellant. Fuit autem huius Epicuri doctrina nõ uirtutis & sapientiæ, sed improbitatis & stulticiæ adiumentum. Liberauit ille quidem superstitione animos (quo nomine à Lucretio magnificis uerbis celebratur) sed eosdem impietatis reos facit: quo scelere nullũ inexpiabilius cogitari potest. Laus tamen hæc ei tribuitur, quòd non tam impiè atq; ineptè senserit, quàm honestè continenterq; uixerit. Eius item discipulos Cicero subinde nominat, homines minimè illos malos quidem, sed parum acutos & eruditos. Eodẽ etiã alludunt ea eius uerba, quæ sunt in proœmio officiorũ. Qui si ipse sibi cõsentiat, nec interdũ naturæ bonitate uincatur, nec amicitiã colere poßit, nec iusticiã nec liberalitatẽ.

Summum bonum esse uoluptatem animi, quæ καταςηματικὴ, id est stabilis dicitur, in non dolendo posita.

Hæc nihil aliud fuerit quam ἡ εὐθυμία Democriti, quæ modò explicata est.

Καταςηματικὴ.

Rectè constantiam requisiuit & perpetuã animi alacritatẽ: quæ sudo & sereno cælo nullisq; subtexto nubib. aut nebulis cõparari põt.

In non dolendo posita.

Ἡδονὴ aliud amplius et maius esse uidetur

quàm

quàm ἀναλγησία ἢ ἀλυπία, sed Epicurus, con siderata rerum humanarum incõstantia, & animorum imbecillitate, innuere fortaſſe uo luit, abundè eſſe boni cui nihil ſit mali.

Eam ex corporis uoluptate naſci.

Magna eſt corporis & animi neceſſitudo, ut ſubinde alter ab altero afficiatur. Sed tamẽ ſæpè mæret animus, corpore incolumi: eodemq́, afflicto gaudet ac lætatur: ut uidemus nõnullos, in grauiſſimis morbis, læto aliquo nuncio, aut ſpe recuperandæ ualetudinis, gaudio propemodum exultare, & corporis im becillitatẽ animi uiribus ſuſtentare: cõtraq́.

Virtutes uoluptatis cauſa comparari.

Scilicet, à uulgo & improbis hominibus, qui ſpecie probitatis ad alios decipiendos ſic utuntur, ut hamo piſcator ad capiendos piſces. Sed qui Dei uolũtatem, ſacris expreſſam literis, & naturæ humanæ dignitatem preſſius & attentius conſiderant: longè aliud ſen tiunt, & uirtuti ſtudent etiam cum moleſtijs, laboribus, dolore, periculoq́, coniunctæ. Quanquam uerum eſt, eos ne tum quidem ſua carere uoluptate, officij conſcientia & ſpe præmij diuini.

Ima-

Imaginum quæ à rebus fluant conuersione nos uidere & cogitare.

Ego me non eà acie oculorum esse, ut uel atomos uel εἴδωλα illa καὶ ἀποῤῥοίας perspiciam, ingenuè fateor. Quare de hoc dogmate nihil pronunciare possum. Illud quidem affirmare posse uideor, uim cogitandi & cernendi pendêre à cerebri spiritibus, & tunicis, quas uocant, atq; humoribus oculorum, qui ut suo munere fungantur, luce etiam externa & iusto interuallo est opus. Videatur epistola Ciceronis ad Caßium de spectris Catianis, & de uisione κατ᾽ εἰδώλων ἐμπτῶσιν. Videtur tamen ἀλληλοπάθεια quædam esse sensuum & obiectorum. Sed hæc disceptent Physici.

Animam non esse incorpoream, ideò interire unà cum animali.

Hoc ne de brutarum quidem pecudum anima concesserit Virgilius: tantum abest, ut interitus mentis humanæ probari poßit. Sed de hoc impio & nefario delirio suprà dictum est ex autoritate religionis nostræ satis, sed nondum satis persuasum ijs, qui & Theologiam

giam & philosophiam saniorem aspernantes & deridentes, perspicuas ubiq; rationes flagitant: cum id quod ipsi negant, immortalem esse animam, nihilo sit dilucidius, quàm quod homines pij persuasum habent, eandem & interitus expertem & diuinum iudicium subituram esse.

Solem & astra tanta esse, quanta oculis uideantur.

Non cogitauit scilicet ex Astrologiæ imperitia, infinitum propè interuallum, quo cœlestia corpora distant à nobis: nec oculorum nostrorum imbecillitatem considerauit. Quis uerò credat, eam Solis tantilli esse uim, ut accessu suo æstates, recessu hyemes efficiat? & Africæ loca complura ita exurat, ut in ijs præter feruentes arenas & uenenosa animalia nihil reperiatur?

Nullam esse artem differendi.

Aspernatus est Epicurus & poëtas & dialecticos & physicos & mathematicos, contentus qualicunque facultate loquendi, seu garriendi potius de moribus & uita beata. Nam eius quidem physiologia perquàm ridicula est & ita inepta, ut ludibrij potius cau-

ſa quàm ſeriò eam tractaſſe uideatur.

Senſus perpetuò ueraces eſſe.

De hoc quoq; dogmate ſuprà dictum eſt. Si integri & incorrupti ſint, ſi iuſtum ſit interuallum, ſi nulla re impediantur.

Hæc philoſophia omnibus ſeculis latiſſimè patuit. Nunc uerò ſola ferè in uita uerſatur, & animis hominum, quamuis aliud ore profiteantur, ac ſimulent. Quod ni ita eſſet: non ij eſſent mores quos uidemus.

Appendix hæc addita eſt, ne multitudine & autoritate impiorum hominum decepti adoleſcentes, Euangelicam doctrinam & rectæ rationis iudicium contemnant. Nec enim rectè fit quod exemplo fit: nec multitudo peccantium peccanti patrocinatur. Pro ſe quiſq; maxima corona, hoc eſt ſpectatoribus angelis, & Chriſto iudice cauſam dicet: & è dictis & factis ſuis, non aliorum, uel condemnabitur uel abſoluetur. Dedit enim unicuiq; ſanam mentem Deus, & liberam uoluntatem uel uitam uel mortem eligendi (ut teſtatur Moſes) neq; Chriſtianorum quiſquam eſt, qui non & legis & Euangelij doctrinam audiendi

audiendi facultatem habuerit. Qua spreta, si quis corruptißimi seculi mores sequi, quàm è præscripto Dei uiuere maluerit: suo sanè periculo, eoq́ capitali, cum multis insaniens, cũ multis plectetur. Hominibus autem sanis uigilandum est semper, & per arctam uiam angusta porta æternæ uitæ petenda. Quod alacrius ij facient, qui cognitis philosophorũ dißidijs, ad consentientem & ueteris & noui Testamẽti autoritatem se contulerint. Quãobrem subijcere uisum est Hermiæ cuiusdam siue ille Sozomenos, Ecclesiasticæ historiæ scriptor, siue quis alius fuerit, profanorum philosophorum insectationem.

ΕΡΜΕΙΟΥ, ΦΙΛΟΣΟΦΟΥ ΧΡΙΣΤΙΑΝΟΥ, ΔΙΑΣΥΡΜΟΣ ΤΩΝ ἔξω φιλοσόφων.

ΠΑΥΛΟΣ, ὁ Μακάριος Ἀπόστολος, τοῖς τὴν ἑλλάδα, τὴν λακωνικὴν παροικοῦσι κορινθίοις γράφων: ὦ ἀγαπητοί, ἀπεφήνατο λέγων: ἡ σοφία τοῦ κόσμου τούτου, μωρία παρὰ τῷ θεῷ: οὐκ ἀσκόπως εἰπών. Δοκεῖ γάρ μοι τὴν ἀρχὴν εἰληφέναι ἀπὸ τῆς τῶν ἀγγέλων ἀποστασίας: ὅθεν πᾶσα ἡ φθορά. Δι' ἣν αἰτίαν οὔτε σύμφωνα, οὔθ' ὁμόλογα οἱ φιλόσοφοι πρὸς ἀλλήλους λέγοντες, ἐκτίθενται τὰ δόγματα. Οἱ μὲν γάρ φασιν αὐτῶν, ψυχὴν εἶναι τὸ πῦρ: οἷον Δημόκριτος: οἱ δὲ τὸν ἀέρα, οἷον οἱ Στωϊκοί: οἱ δὲ τὸν νοῦν *: οἱ δὲ τὴν κίνησιν: οἷον ἡράκλειτος: οἱ δὲ τὴν ἀναθυμίασιν: * οἱ δὲ δύναμιν ἀπὸ τῶν ἄστρων ῥέουσαν *: οἱ δὲ ἀριθμὸν κινητικὸν καὶ μονάδα: οἷον Πυθαγόρας: οἱ δὲ ὕδωρ γονοποιὸν, οἷον Ἵππων: οἱ δὲ στοιχεῖον ἀπὸ στοιχείων *: οἱ δὲ ἁρμονίαν: οἷον Δείναρχος: οἱ δὲ τὸ αἷμα: οἷον Κριτίας: οἱ δὲ τὸ πνεῦμα *: καὶ οἱ παλαιοὶ τὰ ἐναντία. Πόσοι λόγοι φιλοσόφων περὶ τούτων; ἐπιχειρήσεις πόσαι; πόσαι δὲ καὶ σοφιστῶν; ἐριζόντων μᾶλλον, ἢ τἀληθὲς εὑρισκόντων; ἀλλὰ γὰρ ἔστω, στασιάζουσι μὲν περὶ τῆς ψυχῆς, τὰ δὲ λοιπὰ περὶ αὐτῆς ὁμονοοῦντες ἀπεφήναντο; καὶ ἄλλοι τὴν

ἡδονὴν

ἡδονὴν αὐτῆς, ὁ μέν τις ἀγαθὸν καλεῖ, ὁ δέ τις κακὸν, ὁ δ' αὖ μέσον ἀγαθοῦ καὶ κακοῦ· τὴν δὲ φύσιν αὐτῆς οἱ μὲν ἀθάνατόν φασιν, οἱ δὲ θνητὴν, οἱ δὲ πρὸς ὀλίγον ἐπιδιαμένουσαν, οἱ δὲ ἀποθηριοῦσιν αὐτὴν, οἱ δὲ εἰς ἀτόμους διαλύουσιν, οἱ δὲ τρὶς ἐνσωματοῦσιν, οἱ δὲ τρισχιλίων ἐτῶν περιόδους αὐτῇ ὁρίζουσιν. Καὶ γὰρ οἱ μηδὲ ἑκατὸν ἔτη ζῶντες, περὶ τρισχιλίων ἐτῶν μελλόντων ἐπαγγέλλονται. Ταῦτα οὖν τί χρὴ καλεῖν; Ὡς μὲν ἐμοὶ δοκεῖ, τερατείαν, ἢ ἄνοιαν, ἢ μανίαν, ἢ στάσιν, ἢ ὁμοῦ πάντα. Εἰ μέν τι ἀληθὲς εὑρήκασιν· ὁμονοησάτωσαν, ἢ συγκαταθέσθωσαν. Κἀγὼ τότε ἄσμενος αὐτοῖς πεισθήσομαι. Οἱ δὲ ἀνασπῶσι τὴν ψυχὴν, καὶ ἀνθέλκουσιν, ἄλλος μὲν εἰς ἄλλην φύσιν, ἕτερος δὲ εἰς ἑτέραν οὐσίαν, ὕλην δὲ ἐξ ὕλης μεταβάλλουσιν. Ὁμολογῶ γὰρ ἄχθεσθαι τῇ παλιρροίᾳ τῶν πραγμάτων. Νῦν μὲν ἀθάνατός εἰμι, καὶ γέγηθα· νῦν δ' αὖ θνητὸς γίνομαι, καὶ δακρύω. ἄρτι δὲ εἰς ἀτόμους διαλύομαι, ὕδωρ γίνομαι, καὶ ἀὴρ γίνομαι, πῦρ γίνομαι. εἶτα μετ' ὀλίγον, οὔτε ἀὴρ, οὔτε πῦρ. Θηρίον με ποιεῖ, ἰχθύν με ποιεῖ. Πάλιν οὖν ἀδελφοὺς ἔχω δελφῖνας· ὅταν δὲ ἐμαυτὸν ἴδω, φοβοῦμαι τὸ σῶμα, καὶ οὐκ οἶδα ὅπως αὐτὸ καλέσω· ἄνθρωπον, ἢ κύνα, ἢ λύκον, ἢ ταῦρον, ἢ ὄρνιν, ἢ ὄφιν, ἢ δράκοντα, ἢ χίμαιραν; εἰς πάντα γὰρ τὰ θηρία ὑπὸ τῶν φιλοσοφούντων μεταβάλλομαι, χερσαῖα, ἔνυδρα, πτηνὰ, πολύμορφα, ἄγρια, τιθασὰ, ἄφωνα, εὔφωνα,

εὔφωνα, ἄλογα, λογικά· νήχομαι, ἵπταμαι, πέτομαι, ἕρπω, θέω, καθίζω. ἔστι δὲ ὅτε Ἐμπεδοκλῆς καὶ θάμνον μὲ ποιεῖ. Ὅπου τοίνυν τὴν ἀνθρώπου ψυχὴν ὁμογνωμόνως εὑρεῖν οὐχ οἷόν τε τοῖς φιλοσόφοις· σχολῇ γ' ἂν περὶ τῶν θεῶν, ἢ περὶ κόσμου δύναιντο τἀληθὲς ἀποφήνασθαι. Καὶ γὰρ ταύτην αἰδεῖαν ἔχουσιν, ἵνα μὴ τὴν ἐμπληξίαν εἴπω. Οἱ γὰρ τὴν ἰδίαν ψυχὴν εὑρεῖν οὐ δυνάμενοι, ἐκζητοῦσι τὴν τῶν θεῶν αὐτῶν· καὶ οἱ τὸ ἴδιον σῶμα οὐκ εἰδότες, τὴν τοῦ κόσμου φύσιν περιεργάζονται. Πάνυ γοῦν περὶ τὰς ἀρχὰς τῆς φύσεως ἀνθίστανται ἀλλήλοις. ὅταν μὲν Ἀναξαγόρας παραλάβῃ με, ταῦτα παιδεύει· ἀρχὴ πάντων ὁ νοῦς, καὶ οὗτος αἴτιος καὶ κύριος τῶν ὅλων, καὶ παρέχει τάξιν τοῖς ἀτάκτοις, καὶ κίνησιν τοῖς ἀκινήτοις, καὶ διάκρισιν τοῖς μεμιγμένοις, καὶ κόσμον τοῖς ἀκόσμοις. Ταῦτα λέγων ἀναξαγόρας, ἐστί μοι φίλος, καὶ τῷ δόγματι πείθομαι. Ἀλλ' ἀνθίστανται τούτῳ Μέλισσος καὶ Παρμενίδης. Ὅ γε μὴν Παρμενίδης καὶ ποιητικοῖς ἔπεσιν ἀνακηρύσσει τὴν οὐσίαν ἓν εἶναι, καὶ ἀΐδιον, καὶ ἄπειρον, καὶ ἀκίνητον, καὶ πάντῃ ὅμοιον. Πάλιν οὖν εἰς τοῦτο τὸ δόγμα οὐκ οἶδ' ὅπως μεταβάλλομαι· ὁ Παρμενίδης τὸν ἀναξαγόραν τῆς ἐμῆς ἐξήλασεν. Ἐπειδὰν δὲ ἡγήσωμαι δόγμα ἔχειν ἀκίνητον· ἀναξιμένης ὑπολαβὼν ἀνακέκραγεν· ἀλλ' ἐγώ σοι φημί, τὸ πᾶν ἐστιν ἀήρ, καὶ οὗτος πυκνούμενος καὶ συνιστάμενος ὕδωρ καὶ γῆ γίνεται· ἀραιούμενος δὲ καὶ διαχεόμενος

χεόμενος, αἰθὴρ καὶ πῦρ, εἰς δὲ τὴν αὐτοῦ φύσιν ἐπανιὼν, ἀὴρ ἀραιός. εἰ δὲ καὶ πυκνωθῇ, φησὶν, ἐξαλλάσσεται. καὶ πάλιν αὐτὸς οὗτος μεθαρμόζομαι, καὶ τὴν ἀναξιμένην φιλῶ. ὁ δὲ ἐμπεδοκλῆς αὐτικρυς ἕστηκεν ἐμβριμώμενος, καὶ ἀπὸ τῆς αἴτνης μέγα βοῶν· ἀρχαὶ τῶν πάντων ἔχθρα καὶ φιλία, ἡ μὲν συνάγουσα, ἡ δὲ διακρίνουσα καὶ τὸ νεῖκος αὐτοῦ ποιεῖ τὰ πάντα. ὁ ρίζομαι δὲ αὐτὰ καὶ ὅμοια, καὶ ἀνόμοια, καὶ ἄπειρα, καὶ πέρας ἔχοντα, καὶ ἀΐδια, καὶ γινόμενα. εὖγε ὦ ἐμπεδόκλεις, ἕπομαί σοι καὶ μέχρι τῶν κρατήρων τοῦ πυρός. ἀλλ' ἐπὶ θάτερα πρωταγόρας ἑστηκὼς ἀνθέλκει με, φάσκων· ὅρος καὶ κρίσις τῶν πραγμάτων ὁ ἄνθρωπος, καὶ τὰ μὲν ὑποπίπτοντα ταῖς αἰσθήσεσιν ἐστὶ πράγματα· τὰ δὲ μὴ ὑποπίπτοντα, οὐκ ἔστιν ἐν τοῖς εἴδεσι τῆς οὐσίας. τούτῳ τῷ λόγῳ κολακευόμενος ὑπὸ πρωταγόρου, τέρπομαι, ὅτι τὸ πᾶν ἢ τὸ πλεῖστον τῷ ἀνθρώπῳ νέμει. ἀλλαχόθεν δέ μοι θαλῆς τὴν ἀλήθειαν νεύει, ὁριζόμενος ὕδωρ τοῦ παντὸς ἀρχὴν, καὶ ὅτι ἐκ τοῦ ὑγροῦ τὰ πάντα συνίσταται καὶ εἰς ὑγρὸν ἀναλύεται, καὶ ἡ γῆ ἐπὶ ὕδατος ὀχεῖται. διὰ τί τοίνυν μὴ πείθω θαλῇ τῷ πρεσβυτέρῳ τῶν ἰώνων; ἀλλ' ὁ πολίτης αὐτοῦ ἀναξίμανδρος τοῦ ὑγροῦ πρεσβυτέραν ἀρχὴν εἶναι λέγει τὴν ἀΐδιον κίνησιν, καὶ ταύτῃ τὰ μὲν γεννᾶσθαι, τὰ δὲ φθείρεσθαι. καὶ δὴ τοίνυν πιστὸς ἀναξίμανδρος ἔσω· καὶ μὴν οὐκ εὐδοκιμεῖ ἀρχέλαος, ἀποφαινόμενος τῶν ὅλων ἀρχὰς

 θερμὸν

θερμὸν καὶ ψυχρόν; Ἀλλὰ καὶ τοῦτο πάλιν ὁ μεγαλόφρων Πλάτων οὐχ ὁμολογεῖ, λέγων ἀρχὰς εἶναι θεὸν, καὶ ὕλην, καὶ παράδειγμα. Νῦν μὲν καὶ δὴ πέπεισμαι. πῶς γὰρ οὔ; μέλλων πιστεύειν φιλοσόφῳ τῷ τοῦ Διὸς ἅρμα πεποιηκότι; Κατόπιν δὲ, αὐτοῦ μαθητὴς ἀριστοτέλης ἕστηκε, ζηλοτυπῶν τὸν διδάσκαλον τῆς ἁρματοποιΐας. οὗτος ἀρχὰς ἄλλας ὁρίζεται, τὸ ποιεῖν καὶ τὸ πάσχειν. Καὶ τὸ μὲν ποιοῦν ἀπαθὲς εἶναι, τὸν αἰθέρα· τὸ δὲ πάσχον, ἔχον ποιότητας τέσσαρας, ξηρότητα, ὑγρότητα, θερμότητα, ψυχρότητα. Τῇ γὰρ τούτων εἰς ἄλληλα μεταβολῇ πάντα γίνεται καὶ φθείρεται. Κέκμηκα μὲν ἤδη μεταβαλλόμενος ἄνω καὶ κάτω τοῖς δόγμασι. πλὴν ἐπί γε τῆς Ἀριστοτέλους γνώμης στήσομαι, καὶ μηκέτι μοι μηδεὶς λόγος ὀχλείτω. ἀλλὰ τί δῆτα πάθοιμ' ἄν; Νευροκοποῦσι γάρ μου τὴν ψυχὴν ἀρχαιότεροι τούτων γέροντες. Φερεκύδης μὲν ἀρχὰς εἶναι λέγων Ζῆνα, καὶ χθονίην, καὶ κρόνον. Ζῆνα μὲν τὸν αἰθέρα, χθονίην δὲ τὴν γῆν, κρόνον δὲ τὸν χρόνον. Ὁ μὲν γὰρ αἰθὴρ τὸ ποιοῦν, ἡ δὲ γῆ τὸ πάσχον, ὁ δὲ χρόνος, ἐν ᾧ τὰ γινόμενα. Ζηλοτυπία τοίνυν τῶν γερόντων πρὸς ἀλλήλους. Ταῦτα γάρ τοι πάντα ὁ Λεύκιππος λῆρον ἡγούμενος, ἀρχὰς εἶναί φησι τὰ ἄπειρα, καὶ † ἀκίνητα, καὶ ἐλάχιστα· καὶ τὰ μὲν λεπτομερῆ, ἄνω χωρήσαντα, πῦρ καὶ ἀέρα γενέσθαι· τὰ δὲ παχυμερῆ, κάτω ὑποστάντα, ὕδωρ καὶ γῆν. Μέχρι πόσου τὰ τοσαῦτα διδάσκομαι, μηδὲν ἀληθὲς μανθάνων; Πλὴν εἰ μή τί γε Δημόκριτος ἀπαλλάξει με τῆς πλάνης, ἀποφαινόμενος ἀρχὰς τὸ ὂν, καὶ τὸ μὴ ὄν· καὶ τὸ μὲν ὂν

† ἀεικίνητα

πλῆρες,

πλῆρες, τὸ δὲ μὴ ὄν, κενόν· τὸ δὲ πλῆρες ἐν τῷ κενῷ τροπῇ, ἢ ῥυσμῷ ποιεῖν τὰ πάντα. Ἴσως ἂν πεισθείην τῷ καλῷ Δημοκρίτῳ, καὶ βουλοίμην σὺν αὐτῷ γελᾶν· εἰ μὴ μεταπείθοι μὲν Ἡράκλειτος, κλαίων ὁμοῦ καὶ λέγων· ἀρχὴ τῶν ὅλων τὸ πῦρ. Δύο δὲ αὐτοῦ πάθη, ἀραιότης καὶ πυκνότης· ἡ μὲν ποιοῦσα, ἡ δὲ πάσχουσα· ἡ μὲν συγκρίνουσα, ἡ δὲ διακρίνουσα. Ἱκανῶς ἔχει μοι, καὶ ἤδη μεθύω ταῖς τοσαύταις ἀρχαῖς. Ἀλλά με παρακαλεῖ κἀκεῖθεν Ἐπίκουρος, μηδαμῶς ὑβρίσαι τὸ καλὸν αὐτοῦ δόγμα, τῶν ἀτόμων καὶ τοῦ κενοῦ. Τῇ γὰρ τούτων συμπλοκῇ πολυτρόπῳ καὶ πολυσχηματίστῳ τὰ πάντα γίνεσθαι καὶ φθείρεσθαι. Οὐκ ἀντιλέγω σοι βέλτιστε ἀνδρῶν Ἐπίκουρε· ἀλλ' ὁ Κλεάνθης ἀπὸ τοῦ φρέατος ἐπάρας τὴν κεφαλὴν, καταγελᾷ σοῦ τοῦ δόγματος· καὶ αὐτὸς ἀνιμῶ τὰς ἀληθεῖς ἀρχὰς, θεὸν καὶ ὕλην· καὶ τὴν μὲν γῆν μεταβαλεῖν εἰς ὕδωρ, τὸ δὲ ὕδωρ εἰς ἀέρα, τὸ δὲ πῦρ ἄνω φέρεσθαι, τὸν δὲ ἀέρα εἰς τὰ περίγεια χωρεῖν· τὴν δὲ ψυχὴν δι' ὅλου τοῦ κόσμου διήκειν· ἧς μέρος μετέχοντας ἡμᾶς ἐμψυχοῦσθαι. τούτων τοίνυν τοσούτων ὄντων, ἄλλο μοι πλῆθος ἀπὸ Λιβύης ἐπιρρεῖ, Καρνεάδης, καὶ Κλειτόμαχος, καὶ ὅσοι τούτων ὁμιληταὶ, πάντα τὰ τῶν ἄλλων δόγματα καταπατοῦντες· αὐτοὶ δὲ ἀποφαινόμενοι διαρρήδην, ἀκατάληπτα εἶναι τὰ πάντα, καὶ τῇ ἀληθείᾳ φαντασίαν ἀεὶ παρακεῖσθαι ψευδῆ. Τί τοίνυν πάθω, τοσούτῳ χρόνῳ ταλαι-

πωρήσας; πῶς δὲ μοῦ τῆς γνώμης ἐκχέω τὰ τοσαῦτα δόγματα; εἰ γὰρ μηδὲν εἴη καταληπτὸν: ἀλήθεια μὲν ἐξ ἀνθρώπων οἴχεται· ἡ δὲ ὑμνουμένη φιλοσοφία, σκιομαχεῖ μᾶλλον, ἢ τὴν τῶν ὄντων ἐπιστήμην ἔχει. Ἄλλοι τοίνυν ἀπὸ τῆς παλαιᾶς φυλῆς, Πυθαγόρας καὶ οἱ τούτου συμφυλέται, σεμνοὶ καὶ σιωπηλοὶ, παραδιδόασιν ἄλλα μοι δόγματα, ὥσπερ μυστήρια. Καὶ τοῦτο δὴ τὸ μέγα καὶ ἀπόρρητον, τὸ, αὐτὸς ἔφη, ἀρχὴ τῶν πάντων ἡ μονάς· ἐκ δὲ τῶν σχημάτων αὐτῆς, καὶ ἐκ τῶν ἀριθμῶν τὰ στοιχεῖα γίνεται. Καὶ τούτων ἑκάστου τὸν ἀριθμὸν, καὶ τὸ σχῆμα, καὶ τὸ μέτρον οὕτω πως ἀποφαίνεται· τὸ μὲν πῦρ ὑπὸ τεσσάρων καὶ εἴκοσι τριγώνων ὀρθογωνίων συμπληροῦται, τέσσαρσιν ἰσοπλεύροις περιεχόμενον. ἕκαστον δ' ἰσόπλευρον σύγκειται ἐκ τριγώνων ὀρθογωνίων ἕξ: ὅθεν δὴ καὶ πυραμίδι προσεικάζουσιν αὐτό. Ὁ δὲ ἀὴρ ὑπὸ τεσσαράκοντα ὀκτὼ τριγώνων συμπληροῦται περιεχόμενον ἰσοπλεύροις ὀκτώ. Εἰκάζεται δὲ ὀκταέδρῳ, ὃ περιέχεται ὑπὸ ὀκτὼ τριγώνων ἰσοπλεύρων: ὧν ἕκαστον εἰς ἓξ ὀρθογώνια διαιρεῖται, ὥστε γίνεσθαι τεσσαράκοντα ὀκτὼ τὰ πάντα. Τὸ δὲ ὕδωρ ὑπὸ ἑκατὸν εἴκοσι περιεχόμενον, εἰκάζεται δὲ εἰκοσαέδρῳ, ὃ δὴ συνέστηκεν ἐξ ἴσων καὶ ἰσοπλεύρων τριγώνων* εἴκοσι ἑξάκις, εἰσὶ δὲ ρκ. Ὁ δὲ αἰθὴρ συμπληροῦται δώδεκα πενταγωνίοις ἰσοπλεύροις, καὶ ὅμοιός ἐστι δωδεκαέδρῳ. Ἡ δὲ γῆ συμπληροῦται ἐκ τριγώνων

γώνων μὲν η καὶ μ. περιέχεται δὲ καὶ τετραγώνοις ἰσοπλεύροις ἕξ. ἔστι δὲ ὁμοία κύβῳ. ὁ γὰρ κύβος ὑπὸ ϛ τετραγώνων περιέχεται, ὧν ἕκαστον εἰς δ τρίγωνα, ὥστε γίνεται τὰ πάντα κ δ. Τὸν μὲν δὴ κόσμον ὁ Πυθαγόρας οὕτω μετρεῖ. ἐγὼ δὲ πάλιν ἄθεος γενόμενος, τῆς μὲν οἰκίας καὶ πατρίδος, καὶ τῆς γυναικὸς, καὶ τῶν παιδίων καταφρονῶ, καὶ τούτων οὐκέτι μοι μέλει: εἰς δὲ τὸν αἰθέρα αὐτὸν αὐτὸς ἀνέρχομαι, καὶ τὸν πῆχυν παρὰ Πυθαγόρου λαβὼν, μετρεῖν ἄρχομαι τὸ πῦρ. Οὐ γὰρ ἀπόχρη μετρῶν ὁ ζεύς. ἀλλ' εἰ μὴ καὶ τὸ μέγα ζῶον, τὸ μέγα σῶμα, ἡ μεγάλη ψυχὴ, αὐτὸς εἰς τὸν οὐρανὸν ἀνέλθοιμι, καὶ μετρήσαιμι τὸν αἰθέρα: οἴχεται ἡ τοῦ διὸς ἀρχή. ἐπειδὰν δὲ μετρήσω, καὶ ὁ ζεὺς παρ' ἐμοῦ πάθῃ, πόσας γωνίας ἔχει τὸ πῦρ: πάλιν ἐξ οὐρανοῦ καταβαίνω, καὶ φαγὼν ἐλαίας καὶ σῦκα καὶ λάχανα, τὴν ταχίστην ἐπὶ τὸ ὕδωρ στέλλομαι, καὶ κατὰ πῆχυν καὶ δάκτυλον καὶ ἡμιδάκτυλον μετρῶ τὴν ὑγρὰν οὐσίαν, καὶ τὸ βάθος αὐτῆς ἀναμετρῶ, ἵνα καὶ Ποσειδῶνα διδάξω, πόσης ἄρχει θαλάσσης.


Καὶ τὴν μὲν γῆν ἅπασαν ἡμέρα μιᾷ παρέρχομαι, συλλέγων αὐτῆς τὸν ἀριθμὸν καὶ τὸ μέτρον, καὶ τὰ σχήματα. Πέπεισμαι γὰρ, ὅτι τοῦ κόσμου παντὸς οὐδὲ σπιθαμὴν παρήσω, τοιοῦτος καὶ τηλικοῦτος ὤν. Οἶδα δὲ ἐγὼ καὶ τῶν ἀστέρων τὸν ἀριθμὸν, καὶ τῶν ἰχθύων, καὶ τῶν θηρίων, καὶ ζυγῷ τὸν κόσμον ἱστὰς, εὐκόλως τὸν σταθμὸν αὐτοῦ δύναμαι μαθεῖν.

θεῖν. Ἀμφὶ μὲν δὴ ταῦτα μέχρι νῦν ἐσπούδακεν ἡ ψυχή μου, τῶν ὅλων ἀρχήν. Προκύψας δέ μοί φησιν Ἐπίκουρος, σὺ μὲν δὴ κόσμον ἕνα μεμέτρηκας, ὦ φιλότης· εἰσὶ γὰρ κόσμοι πολλοὶ καὶ ἄπειροι. Πάλιν οὖν ἀναγκάζομαι εἰπεῖν οὐρανοὺς πολλοὺς, αἰθέρας ἄλλους, καὶ τούτους πολλούς. Ἄγε δὴ μηκέτι μέλλων ἐπισιτισάμενος, ὀλίγων ἡμερῶν εἰς τοὺς ἐπικουρείους κόσμους ἀποδήμησον. Τὰ μὲν οὖν πέρατα Τηθύος καὶ Ὠκεανὸν εὐκόλως ὑπερέπταμαι. Εἰσελθὼν γὰρ εἰς κόσμον κενὸν, καὶ ὥσπερ εἰς ἄλλην πόλιν, μετρῶ τὰ πάντα ὀλίγαις ἡμέραις. Κἀκεῖθεν ὑπερβαίνω πάλιν εἰς γ κόσμον. εἶτα εἰς τέταρτον, καὶ πέμπτον, καὶ δέκατον, καὶ ἑκατοστὸν, καὶ χιλιοστὸν, καὶ μέχρι ποῦ; Ἤδη γάρ μοι σκότος ἀγνοίας ἅπαντα, καὶ ἀπάτη μέλαινα, καὶ ἄπειρος πλάνη, καὶ ἀτελὴς φαντασία, καὶ ἀκατάληπτος ἄγνοια. Πλὴν εἰ μέλλω καὶ τὰς ἀτόμους αὐτὰς ἀριθμεῖν, ἐξ ὧν οἱ τοσοῦτοι κόσμοι γεγόνασιν, ἵνα μηδὲν ἀνεξέταστον παραλείπω μάλιστα τῶν οὕτως ἀναγκαίων καὶ ὠφελίμων, ἐξ ὧν οἶκος καὶ πόλις εὐδαιμονεῖ. ταῦτα μὲν τοίνυν διεξῆλθον, βουλόμενος δεῖξαι τὴν ἐν τοῖς δόγμασιν οὖσαν αὐτῶν ἐναντιότητα, καὶ ὡς εἰς ἄπειρον αὐτοῖς καὶ ἀόριστον πρόεισιν ἡ ζήτησις τῶν πραγμάτων, καὶ τὸ τέλος αὐτῶν ἀτέκμαρτον, καὶ ἄχρηστον, ἔργῳ μηδενὶ προδήλῳ καὶ λόγῳ σαφεῖ βεβαιούμενον.

HER-

HERMIAE, PHILOSOPHI CHRISTIANI,

GENTILIVM PHILOSOPHO*phorum irrisio: Raphaele Seilero Augustano, I. C. & Cameræ Imperatoriæ assessore, interprete.*



Eatus apostolus Paulus, Corinthijs, Laconicam Græciã accolentibus scribens, cum pronunciaret, huius Mundi sapientiã, apud Deum stulticiam esse: à scopo non aberrauit. Videtur enim ea mihi ab angelorum defectione duxisse principium: quæ est omnis corruptelæ origo, eadémque causa, cur decreta philosophorum nec inter se consentiant, nec ab alijs approbentur. Nam eorum alij, ignem esse animum dicũt, ut Democritus: alij aerẽ, ut Stoici: alij mentem *: alij motionem, ut Heraclitus: alij exhalationem *: alij uim à sideribus promanantem *: alij numerum mouendi ui præditũ & monadẽ, ut Pythagoras: alij aquã genitalẽ, ut Hippon: alij elementũ ab elementis *: alij harmoniã, ut Dinarchus: alij sanguinẽ, ut Critias: alij spiritũ

Diabolica sapientia.

1. De animi humani natura dissensiones.

* anti-

*antiqui uerò cõtraria. Quot philoso-phorũ de his sermones? q̃t argumẽtatio nes? quot itẽ sophistarũ, cõtẽdentiũ ma-gis, q̃ ueritatẽ inueniẽtiũ? Verũ esto, de animo inter se dissẽtiãt: nũquid uerò de

II. De animi bono & affectione.

cæteris cõcordes pnunciauerũt? Atqui alius uoluptatẽ eius bonũ, alius malũ, ali us rursũ mediũ inter bonũ & malũ appel lat. Eius porrò naturã alij im̃ortalẽ, alij mortalem esse aiunt: alij ad paruũ quod-dam tempus permanere: alij eam in be-stiarum conditiones deuoluunt, alij in corpora indiuidua dissoluunt, alij ter in corpora inserunt: alij ter mille annorum circuitum ei præfiniunt. Et qui ne centũ quidem annos uiuunt, tria futura anno-rum millia pollicentur. Hæc igitur quid aliud nominanda sunt, quàm (ut mihi sa nè uidetur) portentum, aut dementia, aut insania, aut seditio, aut hæc simul om nia? Quòd si uerum aliquid inuenerunt: concordent, & alijs alij assentiantur: tũc & ego libens eis obtemperabo. Verùm illi animũ diuellunt, atq; in diuersas par-tes trahunt. alius in aliam naturam, alius in aliam essentiam, materiã ex materia mutant. Fateor enim, me crebram istam rerum

rerum cõuersionem moleste ferre. Nunc immortalis sum, & gaudeo: nunc contrà mortalis fio, & ploro: mox in indiuidua corpora soluor, aqua fio, fio aer, fio ignis paulo pòst nec aerem, nec ignem, sed ferã me facit, piscẽ me facit. Itaq; iã fratres habeo delphinos. Cũ uerò me intueor, corpus pertimesco, & nescio quo nomine id uocẽ, hominẽ ne an canẽ, an lupũ, an taurum, an auem, an serpentẽ, an draconem, an chimæram? In cunctas enim bestias, ab illis sapiẽtiæ studiosis mutor, terrestres, aquatiles, uolucres, multiformes, agrestes, cicures, mutas, uocales, brutas, ratiõe munitas. Nato, uolo, sublimis in aere feror, serpo, curro, sedeo Est & cũ Empedocles arbustũ me facit. Cũ igit hõinis animũ philosophi cõcorditer deprehẽdere nõ possint: quãtò min⁹ de Diis, aut mũdo uerũ ꝓnũciare poterũt? Etẽ ea fortitudine prędití sũt, ne stupo rẽ poti⁹ dicã. Nã qui suũ animũ inuenire nequeũt, ipsorũ Deorũ animũ scrutãt: & q suũ corpus ignorãt, supuacaneũ in mũdi natura indagãda laborẽ sumũt. In naturæ certè principiis alij alijs sũmopè ad uersant. Vbi Anaxagoras me excepit, hæc

III. De primis rerũ principiis.

hęc docebit: Mens omnium est initium, eaq; causa & omnium domina est, & ordinē confusis præbet, & motionē immobilibus, & discrimen cōmistis, & ornatū inornatis. Hęc cū dicit Anaxagoras, amicus mihi est, & ipsius sentētiæ me subijcio. At obsistūt illi Melissus & Parmenides: quorū hic poeticis etiā uersib. prædicat, hoc quod sit, unū & æternū, & infinitū & imobile, & ab omni parte simile esse. Rursus igit̃ nescio, quo pacto in hāc opinionē cōcedo: Parmenides Anaxagorā animo meo expellit. Postq; aūt me firmā habere sententiā existimo: Anaximenes reclamās, imò, inqt, ego tibi dico, uniuersum qđ est, id aer est: qui dēsatus & cōcretus, aqua fit & terra. Sin rarescat & diffundatur, æther & ignis: In suam uerò naturam reuersus, aer liquidus: sin densetur, inquit, mutatur. Rursus in hanc quoque sententiam transeo, & iam Anaximenem diligo. Sed Empedocles contrarius obstat, minas iactans, & ab Aetna magnū clamitās: Principia ōniū sunt inimicitia & amicitia: quarum hæc congregat, illa dissipat, & earū contētio cuncta facit. Definio aūt ea, & similia

esse

esse, & dissimilia: & infinita, & extremũ habentia: & æterna & facta. Euge Empedocles, te sequor, etiam usq; ad crateres ignis. Ab altera autem parte stans Protagoras, me retrahit, cùm dicit, Terminus & iudicium rerum, homo est: & quæ in sensus cadunt, res sunt: quæ uerò in eos non cadunt, ne in naturæ quidem formis sunt. Hoc sermone à Protagora delinitus, delector, quòd aut omnia, aut pleraque homini tribuit. Aliunde autem Thales ueritatem mihi suggerit, aquam uniuersorum esse primordium statuens, & ex humido cuncta constare, & in humidum resolui, & terram in aqua ferri. Cur igitur Thaleti non crediderim, Ionũ antiquissimo? Verùm ciuis eius Anaximander æternam illam motionẽ humido uetustiorẽ esse dicit, eaq; alia oriri, alia interire. Itaq; fides Anaximãdro adhiberi debet. Nónne uerò celebratur Archelaus? qui uniuersitatis principium esse calidũ & frigidũ statuit. Sed huic magniloquus Plato non assentitur, qui rerum exordia Deum, & materiam & exemplar esse dixit. Iam uerò persuasum mihi est. Quid ni uerò? cùm philosopho, qui Iouis cur-

rum etiam fecerit, crediturus sim? A' tergo autem stat eius discipulus Aristoteles, qui magistrum ob currus fabricationem illã æmulatur. Ille alia principia describit, Agere & Pati. Ac id quidẽ quod agat, nulla re affici, ætherem: id uerò qđ patiatur, quatuor habere qualitates, siccitatem, humiditatem, caliditatem, frigiditatem: horum enim mutua inter se mutatione omnia & oriri & interire. Defatigatus iam equidẽ sum, sursum ac deorsum opinionib. iactatus. Verùm Aristotelis sententiam tenebo, neq; ulla ampliùs alia tumultũ mihi cõcitabit. Sed qd agã? nam senes his uetustiores, animi mei neruos incidunt: Pherecydes, qui principia esse dixit, Iouem, Tellurem, & Saturnum: Iouem ætherem, Tellurem terram, Saturnum tempus appellans. Ac ætherem quidem producere, terram autem ferre, tempus uerò esse, in quo fiant omnia. At inter senes illos etiam sunt æmulationes. Etenim hæc omnia Leucippus nugas esse existimans, primordia esse dicit, infinita & * immobilia, & minima. Ac subtilia quidem sursum profecta ignem & aerem esse facta: crassa autem in-

* semper mobilia.

infrà cùm substitissent, aquam ac terram. Quousq; tandem talia edoceor, nec ueri tñ quicq; addisco? Nisi me fortè Democritus ab hoc errore aliquantulũ liberet, demõstrãs, initia esse, id qđ sit & id qđ nõ sit. Ac id qđ sit, esse plenũ: ꝙ uerò nõ sit, esse uacuum. Plenum autem in uacuo conuersione, uel fluxione efficere omnia. Fortassis autem pulchro Democrito assentirer, & unà cum eo ridere uellem, nisi à sententia me deduceret Heraclitus, simul & plorans & dicens: Vniuersorum exordium est ignis. Duæ autẽ sunt ipsius affectiones, raritas & dẽsitas: quarum altera agit, altera patitur: altera coagmentat, altera separat. Abundè iam satur sum, atque etiam ebrius tot principiis. Sed & illinc Epicurus me adhortatur, ut nequaquam pulchram suam de atomis & de uacuo opinionem, contumelia afficiam. nam horum multiplici & multiformi cõplexione cuncta & oriri, & interire. Nõ cõtradico tibi Epicure, uir optime: sed Cleãthes capite è puteo elato, sententiã tuã deridet. Itaq; & ipse uera principia haurio, Deũ & materiã: ac statuo, terrã in aquã mutari, aquam in

aerem. Ac ignem sursum ferri: aerem ad terræ proxima accedere: animũ aũt per totum mundum penetrare, cuius partẽ
IIII. Academica ignoratio omniũ rerum. aliquam nos adeptos animari. Cum aũt horum tantus sit numerus, alia mihi ab Aphrica multitudo affluit: Carneades & Clitomachus, eorumq; sectatores: qui omniũ aliorũ placita conculcant: ipsi uerò plane pronunciant, uniuersa incomprehẽsa esse, & ueritati semper falsam quandam imaginationẽ esse proximã. Quid igitur agam post tanti temporis ærumnas? quo pacto tot opiniones ex animo meo effundam? Si enim nihil cõprehendi potest: & ueritas homines deserit, & celebrata philosophia umbras potiùs cõ
V. Pythagorica totius mundi dimensio. sectatur, quàm rerum sciẽtiam tenet. Iam uerò alij ex antiqua tribu, Pythagoras & tribules eius, graues & taciturni, alias mihi opiniones, quasi Cereris quædam initia tradunt, atq; etiam illud magnum & arcanum ipse dixit: Omnium initium est monas, è cuius figuris & numeris elemẽta fiunt. Atq; eorum cuiuslibet numerũ, formam & mensuram ita demonstrat: Ignem quatuor & uiginti triãgulis rectis perfici, & quatuor æquis lateribus contineri.

neri. Vnumquodq; autem æquilaterum sex triangulis rectangulis constare. Vnde eum pyramidi assimilant. Aerem autem octo & quadraginta rectis triangulis impleri, & æqualibus lateribus octo contineri. Aequiparari autẽ figurę octonorum sessuum, quæ octo triangulis æqualium laterum contineatur, quorũ singula in sex rectos angulos diuidantur. Itaque anguli omnes fiunt octo & quadraginta. Aquam autem centum & uiginti contineri, & comparari figuræ uiginti sessuum, quæ ex æqualibus cõstet, & triangulis æquorum laterum * sexies uiginti: quæ conficiant centum uiginti. Aetherẽ uerò perfici duodecim quinquangulis æqualium laterum, & similẽ esse figuræ duodecim sessuum. Terram compleri triangulis octo & quadraginta, contineri autem sex triangulis æqualium laterum, & cubo similem esse. Cubum enim sex quadrangulis contineri, quorum singuli quatuor triangulos habeant: ut summatim omnia fiant, quatuor & uiginti. Mundum igitur Pythagoras ita metitur. Ego uerò rursum numine afflatus, domum, patriam, uxorem, li-

beros contẽno, neq; ampliùs curo: uerũ in ipsum ætherẽ ascẽdo, & cubito à Pythagora sũpto, ignẽ metiri incipio. Nec eñ satis est, metiri Iouẽ: sed nisi etiã ego, magnũ illud animal, magnũ corpus, magnus animus, ipse in cœlũ uenero, & dimetiar ætherẽ, interibit Iouis imperium. Vbi uerò mensus fuero, & Iupiter ex me cognouerit, quot angulos habeat ignis: rursus ex cœlo descendo: & ubi oliuas, ficus ac olera comedero, quamprimũ ad aquam me cõfero, & per ulnam & digitum & semidigitũ, humidã naturã metior, & profunditatem eius supputo, ut & Neptunum doceam, quantum sit mare, cui imperat. Nam terrã quidẽ uniuersam una die obeo, & numerũ eius colligo, & mesurã, & figuras. Persuasum eñ habeo, me ne dodrantẽ quidẽ totius mũdi prætermissurũ, cũ talis & tãtus sim. Prætereà etiã stellarũ numerũ, & pisciũ, & bestiarũ noui, & mundo in bilancẽ imposito, facilè pondus eius possum cognoscere.

VI. Mundi innumerabiles. Hactenus quidem animus meus his rebus intẽtus, totius uniuersitatis imperiũ affectat. Prospiciens aũt Epicurus, mihi ait, Tu, quidẽ, amice, unũ duntaxat mundum

dum dimensus es, cum sint multi mũdi, & infiniti. Itaq; denuò dicere cogor, multos cœlos, alios ætheres, eosq; multos. Agè uerò non amplius morans, comparato paucorum dierum commeatu, Epicuri mundos peragrato. Terminos igitur Tethyn & Oceanum facilè transuolo. In nouum autem mundum, & quasi in aliam ciuitatem ingressus, cuncta paucis diebus metior. Illinc iterum transcendo in tertium mundum, posteà in quartum, & quintum, & decimum, & centesimum & millesimum, & quo tandem usque? Omnia enim iam mihi ignorantiæ tenebræ sunt, & nigra fraus, & infinitus error, & imperfecta cogitatio, & incomprehensa inscientia: nisi ipsas etiam atomos numerare uelim, è quibus tot mundi orti sunt, ut nihil inexcussum prætermittã, præsertim res tã necessarias & utiles, unde & dom⁹ & ciuitatis felicitas pẽdet. Hæc itaq; enarraui, ut repugnãtiã, q̃ in eorũ opinionib. ẽ, patefacerẽ, & inq̃sitionẽ rerũ q̃ suscipiũt, in infinitũ uagari, & nullo termino cõtineri: eorũq; finẽ esse inexplicabilẽ atq; inutilẽ, q̃ppe q nulla re euidẽti & ratiõe p̃spicua cõfirmet.

VII. Superuacanea & contraria doctrina.

ANNOTATIVNCVLAE IN LIBELLVM

HERMIAE, IN QVO PROFAnos philosophos, hoc est, eos qui contemptis sacris literis & diuina patefactione, de rebus diuinis & principijs omnium rerum disputare non dubitant.

Ἑρμείου.



ἑρμῆς, οῦ, & ὁ ἑρμείας, ου, & *Ionicè* ὁ ἑρμείης, ου, *in prima declinatione: &* ὁ ἑρμῆς τοῦ ἑρμῆτος *in quinta simplicium, Latinè Mercurius, quasi mercatorũ* κύριος, *uel potius mercatorum curator, ut est in prologo Plautini Amphitruonis. Hunc poetæ nuncium & interpretem Deorũ atq;* ψυχαγωγὸν, *id est, eum qui animas deducat & ex orco reducat, faciunt. Vnde* ἑρμηνεὺς *interpres, &* ἑρμηνεύω & ἑρμηνεία, *quæ apud Aristotelem non significat interpretationem alienæ linguæ: sed expositionem eorum quæ homo animo conceperit, &c. Celebratur autẽ* ἑρμῆς τρισμέγιστος *Aegyptius: cuius mirabiles Dialogi, & in nonnullis proximè ad Christianam*

reli-

religionem accedentes (si Lactantio & alijs antiquis Theologis credimus) partim Græci, partim à L. Apuleio Latinè conuersi, extant. Eidem & libellus de infirmorum decubitu (quem uidere Græcum, mihi nondum contigit) tributur. Extat & ἑκατομύθιον Astrologicum, quod perperam uidetur Cl. Ptolemæo ascribi. Multa enim in ijs continentur, nequaquam cum ijs, quæ Ptolemæus ἐν τῇ τετραβίβλῳ syntaxi tradidit, consentientia. Sed nec illius Trismegisti hoc opusculum uidetur esse, cuius sapphirina tabula iactatur. Nam homonymia, id est, nominum similitudo, sæpè & pessimis libris autoritatem conciliat, & optimis fidem abrogat: ut est uidere in Chymicorum & Rabinorum commentariolis. Ibi enim recentium quorundam [redacted]*udæorum commenta, Patriarchis sanctisq; prophetis tribuũtur: falsissima siue persuasione siue ostentatione inani. Habemus & nouem libros Græcè scriptos, atq; inscriptos Theodosio iuniori, ecclesiasticæ historiæ: qui appellatur,* Ἑρμείας Σωζόμενος Σαλαμίνιος: *cuius utrum hoc scriptũ sit, an uerò alterius cuiuspiam? incertum est. Itaq; neq; de patria eius, neq; de tempore quo uixerit, neq; qua cõditione fuerit hic autor (quæ in primis tra-*

denda essent) quicquam comperti habemus. Philosophi quidem appellatio illi tribuitur. Extiterunt autem, Christiana religione propagata, & Christiani philosophi (cuiusmodi fuerunt Iustinus Martyr & Athenagoras, alijq́; complures) & profani. Nam & Euangelium, cælestem quandam & diuinam philosophiam, ad discrimen terrenæ & humanæ, quibusdam appellare uisum est.

Φιλοσόφου.

Cum olim ij, qui ingenijs, studio, doctrina uulgo antecellebant, σοφοὶ, id est, sapientes dicerentur: Pythagoras hoc nomē, ut arrogās, & quod soli Deo, ut & τοῦ ἀγαθοῦ, id est boni, conueniret, repudiauit: seq́; non σοφὸν, sed φι [redacted] *lari pari & prudentia & modestia uoluit: qui in cōtemplatione opifi*[redacted] *uini, id est, uniuersitatis rerum uersaretur. Sed ne hoc quidem nomē calumniam Quintiliani effugere potuit, conquerentis, arrogantißimos esse, qui sibi solis sapientiæ studium uendicarent: quasi uerò non & cæteri homines expeterent sapientiam. Quæ sanè inanis est cauillatio: de qua pluribus hic agere supersedeo. Sapientiam autem rerum diuinarū & humanarū, causarumq́; quibus eæ res continentur,*

tinentur, ſcientiam, definiunt. Ac ea quidem ſcientia in ſolo Deo eſt: homines autem uix ſimulachrum aliquod illius & tenuem quandam umbram aſſequuntur: quiq́ in eo ſtudio elaborant, philoſophi dicuntur. Philoſophiam porrò diuidi in obſcuritatem naturæ, in doctrinam de moribus, & differendi ſubtilitatem, nemini eſt ignotum. Videtur autem addendum φιλοσόφȣ χριστιανȣ̃ *ad diſcrimen* τῶν ἔξω τῆς ἐκκλησίας φιλοσόφων, *qui ſunt profani, & ueræ religionis ignari: neq́ in inquirendis & explicandis rebus, Deum autorem, diuinamq́ patefactionem, quæ ſacris literis continetur: ſed naturam ducem, hoc eſt, cæcæ mentis & deprauati animi tenebras & caliginem ſequuntur: eaq́ de cauſa in multos errores et prodigioſas opiniones incidunt. Chriſtiq́ ſeruatoris doctrinæ, tanquam abſurdæ & portentóſæ, & tam rem familiarem, quàm Rempublicam deſtruenti (ut quondam Porphyrius libris etiam editis fecit) acriter aduerſantur: & magiſtratibus autores ſunt, Chriſtianos inſectandi, & omni ſupliciorum genere cohercendi. Ad horum igitur arrogantiam retundendam, ſæuitiamq́ comprimendam; editus eſt hic libellus: in quo eorum maximis de rebus pugnantes, &*

& absurdæ opiniones exponuntur: quò maiore studio homines pij sacrarum literarum autoritati se docendos & regendos permittant: ut in Psalmis scriptum est. Lucerna pedibus meis uerbum tuum. Et, Nisi credideritis, non erit uobis matutina lux: &, credidi, proptereaq́ locutus sum.

Διασυρμὸς.

Διασύρειν *interpretantur* διαπαίζειν, κατηγορεῖν, τωθάζειν, κατακωμῳδεῖν, κατειρωνεύεσθαι, χλευάζειν, *id est, exagitare, accusare, perstringere, eleuare, nigro sale aspergere. Libanius,* τὸ τοὺς σοφιστὰς διασύρειν, εἰωθός σοι καὶ παλαιόν. *Hinc fit* διασυρμὸς, *idem quod* χλεύη, χλευασία, χλευασμὸς, μείωσις, κατάγελως, *id est, exagitatio, derisio, extenuatio.* Διασύρειν *etiam ponitur pro* ἐπισύρειν καὶ διέλκειν, *id est, attrahere, distrahere, diuellere.*

Παῦλος ὁ μακάριος.

Apparet, autorem hunc non tam profanos philosophos confutare, quàm pios homines monere uoluisse. Nam cum philosophi sacras literas non pluris faciant, quàm Theologi philosophiam: neq́ D. Pauli, neque Mosis, neq́ Christi ipsius autoritate mouentur: sed rationes postulant, quibus & suæ sententiæ refu-

refutentur & contraria confirmentur.

Τοῖς τὴν ἑλλάδα τὴν Λακωνικὴν.

Isthmus, id est, angusta terra inter mare Ionium & Aegeum, urbem præclarã, & mercatum insignem, Corinthum habuit. Vnde à Græcis διθάλαττος, & ab Horatio, Græcorum imitatione, bimaris dicitur. Est aũt Achaia Peloponneso, in qua Lacedæmonij principatum tenuerunt, uicina.

Ἡ σοφία τοῦ κόσμου τούτου.

Id est, Sapientia humana, nõ illustrata diuinitus. 1. ad Corinthios, cap. 3.

Μωρία παρὰ τῷ θεῷ.

Id est, in rebus diuinis: cum de natura & uoluntate Dei erga homines disputatur. Interim sapientia mundi in mundo, id est, in terris & in rebus humanis suum locũ tenet, nec omnino repudiatur: sic tamen, ut rem neq; priuatam neq; publicam feliciter administret, nisi diuinitus adiuuetur. Rectè enim uersiculus ille Græcus monet:

ὅτι χωρὶς θεοῦ οὔτις εὐτυχεῖ βροτῶν.

Ex eodem Paulo cap. 2. ad Coloss. & hanc sententiam addere licet: βλέπετε, μή τις ὑμᾶς ἔσται ὁ συλαγωγῶν διὰ τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης: &, βλέπετε μή τις ὑμᾶς παραλογίζηται

γίζηται ἐν πιθανολογίᾳ. Has autem sententias de philosophiæ, id est humanæ rationis abusu, cum ea sibi diuinarum rerum scientiam arrogat, et extra metas sui muneris euagatur, accipiendas esse: ipse Paulus cap. 1. ad Rom. apertè docet. Nam ibi profanis etiam hominibus, id est, à Christiana religione alienis, crassam quandam Dei cognitionem, ex aspectu mirabilium mundi operum conceptam, tribuit, eosq; legem animis insculptã gerere, tradit. Sentiunt enim homines, esse Deum, benefacere bonis, & punire malos. Sed hæc Theologia ualde obscura est & tenuis: nec ultra Platonicam Dei definitionem progreditur, quæ est huiusmodi: ὁ θεός ἐστι νοῦς ἀΐδιος, αἴτιος τοῦ ἀγαθοῦ τῇ φύσει: in qua neq; Christi neq; spiritus sancti fit ulla mentio. Cato autem in eandem ferè sententiam scribens, ait:

Si Deus est animus nobis ut carmina dicunt,
Hic tibi præcipuè sit pura mente colendus.

Ignorat utiq; bonus ille uir, siue Cato quispiam recentior, siue alius aliquis: siue (ut quidam uolunt) Decius Ausonius, hominis mentem impuram esse, totamq; naturã corruptam, & diuinitus condemnatam: eaq; de causa cultum illum mentis impuræ, Deo ingratum esse.

In

In ijs uerò rebus, quæ ad bonos mores attinent, & ad uitam honestè ac prudenter instituendam, aliquantò plus ualet mundi huius sapientia: & magna ex parte cum secunda decalogi tabula consentit. Qua de re consulatur eruditum scriptum Nicolai Hemingij de lege naturæ.

Ἀπεφήνατο λέγων, οὐκ ἀσκόπως εἰπών.

Pronunciauit dicens, non temerè locutus: hoc est præclara est sententia D. Pauli, pronunciantis, uel cum pronunciat, &c. Posterior clausula est ἐπίκρισις, & approbatio dicti: cui mox αἰτιολογία subijcitur. Idem Paulus queritur, hominum impietate & iniustitia ueritatem in iniusticia detineri: Et, homines, cum se sapientes esse profiterentur, stultos esse factos: &, quia Deum cognoscere non studuerint: Deum eis mentem peruersam iniecisse ut contra officium facerent.

Δοκεῖ γάρ μοι.

Modestè loquitur, in re obscura & controuersa nihil affirmans: sed suam sententiam ita simpliciter exponens, ut nihilominus totam philosophiam reddat suspectã, ut

ut ab autore Diabolo profectam. In quo (nisi distinctio accurata adhibeatur) autor iste, quisquis fuerit: sycophanta potius, quam Theologus perhibendus esse uideatur. Plurima enim à philosophis tradita sunt: cum lege diuina planè consentientia, eandemq́ exponentia et illustrantia: quam diabolo autori ascribere, summæ impietatis fuerit: ut modò ex eodem diuo Paulo ostendimus.

Τὴν ἀρχὴν εἰληφέναι.

Id est, ἡ σοφία τοῦ κόσμου τούτου, δοκεῖ μοι ἄρξασθαι. Est uituperatio, sumpta ab origine seu causa efficiente. Quæ cum mala sit: ne effectus quidem eius possit esse bonus: sicut è uenenato fonte non nisi uenenata aqua profluit: nec mala arbor bonos fructus fert: nec à spinis uuæ, nec à tribulis ficus colliguntur. Est profectò hæc grauissima accusatio philosophiæ, si uera sit: & uera erit, cum se immiscuerit rebus ad uitam æternam pertinentibus. Qua de re in præfatione Epicteti plura scripsimus.

Ἀπὸ τῆς τῶν ἀγγέλων ἀποστασίας.

Scilicet ἀπὸ τοῦ θεοῦ, διὰ φιλαυτίαν ἀποστησάντων. Christus ait Satanam se uidisse, tanquam fulmen de cœlo cadentem: & Apostolus, à superbia & peccandi licentia dehortans,

tans, ait: Deum ne angelis quidem contumacibus pepercisse. Mirabilis est hæc doctrina: & humano ingenio absurda: ut alibi indicaui. Sed lapsus diaboli, & primorum parentum fundamenta sunt totius Christianæ Theologiæ: in quæ acie humani ingenij inquiri nefas est: & in uno illo acquiescendum, αὐτὸς ἔφα: quod dictum de solo Deo rectè usurpatur. Nam cum, autore Psalmographo, omnis homo mendax sit (aliàs opinionis errore, aliàs fallendi alios studio) tantum cuiq; credendum est quantum uel euidentibus exemplis, ysq; inter se consentientibus, uel firmis et perspicuis rationibus probauerit. Prophetarum autem & Apostolorum autoritas, non pendet à natura humana, sed à spiritu sancto, quem per eos locutū esse affirmat Catholica Ecclesia.

Τῆς τῶν ἀγγέλων ἀποστασίας.

Diabolus, amissa luce & bonitate sua, id est, & cognitione & cultu Dei, etiam protoplastos in fraudem illexit: qui ab initio, ut Christus ait, mendax est & homicida, nec in ueritate perstitit. Mendax, quia cum se auertisset à Deo, libera uoluntate sua: seipsum decepit primum: Deinde Euam quoq; & Adamum: Deum ut mendacem & inuidum ca-

lumniando. Cui cum illi paruissent: & ipsi perierunt, omnemq́ posteritatem suam perdiderunt, obscurata mēte, & deprauata uoluntate. Est igitur defectio angelorū prima causa & origo errorum, scelerum, calamitatum omnium et huius & futuræ uitæ. Defectionis porrò causa fuit liberū arbitriū: quo summo bono ad perniciem ita sunt abusi, ut si quis in tenebris, ardente candela, non ad lumē præbendum, aliosq́ usus necessarios: sed ad exurendos oculos, & ad ædes incendendas abutatur. Hic autem ratio humana cauillatur: adimendam fuisse potestatē & facultatem tam angelis quàm hominibus, à summo bono ad extremū malum sese conuertendi: ut uulgari prouerbio dicitur μὴ παιδὶ μάχαιραν. Sed hoc non fuisset liberū arbitriū. Deinde cur Deus labi illos permiserit, non est hominis indagare: sed pertinet ad arcana æternitatis: de quibus illud dicitur: qui scrutatur maiestatē opprimetur à gloria. Vt enim oculi Solem intueri non possunt: ita mens, hisce de rebus curiosè inquirens, in tenebras plus quàm Cimmerias, ac potius in æternū exitiū incidit. Simplicius tamē (si quid humanæ coniecturæ tanta in re ualerent) proximè ad scopum, accessisse uidetur, cum scribit: Ordinem uniuersi

hoc

hoc postulare, ut una sit princeps causa rerũ omniũ: deinde, ut sint aliæ causæ, primæ proximæ, atq; immutabiles: aliæ deniq;, quæ uel sursum spectãdo, uel deorsum se præcipitãdo, uel felicitatis uel miseriæ cõpotes fieri possint. Ex eo igitur genere, τοὺς ἀποστάτας ἀγγέλους, καὶ τοὺς πρωτοπλάστους *fuisse, cõcludit. Sed his omissis, teneatur hoc loco Paulinum illud,* μὴ φρονεῖν ὑπὲρ ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν. *Sed ut ad diaboli mentionẽ redeam, eãdem opera, qua mendax, etiã homicida fuit. Nam & seipsum & protoplastos, defectione & inobedientia sua in æternum exitiũ cõiecit, infinitis mortibus terrenis grauius & miserabilius. Nam* NON ESSE *ut malũ sit (quod nonnulli disputant) eiusmodi certè malum est quod non sentitur neq; dolet. Sed* MALE' ESSE, *id est, & corporis & animi doloribus æternũ cruciari, miserrimũ est. Ac in hãc mortẽ diabolus & semetipsum & uniuersum genus humanum præcipitauit.*

Ὅθεν πᾶσα ἡ φθορά.

Hæc est illa pernicies, hæc sentina malorum omnium. Cuius ignoratione philosophorum alij prauum astrorum positum, alij corporum intemperiem, alij malam uictus rationem, alij peruersam educationem,

corruptamq́. disciplinam causantur: quæ & ipsa multum ad stulticiam & improbitatem facere, non inficiamur: sed illud adiungimus, hæc omnia non futura talia fuisse, nisi corruptela illa primigenia antecessisset.

Δι' ἣν αἰτίαν ὅτι σύμφωνα.

Ratio, quare philosophia uideatur orta à Diabolo: quòd scilicet intricata sit, & perplexa diuersis, obscuris, & inter sese contrarijs opinionibus: cum ueritas simplex sit & perspicua. Ac omninò uerum est, id quod modò diximus, fontem horum malorum esse corruptionem naturæ humanæ. Sed [illegible] [illegible]sa omissa, ueniamus ad propiores. Multi se philosophos professi sunt, nec ingenijs nec eruditione, nec diligentiæ aßiduitate, nec amore ueritatis prædíti. Ac nonnulli fuerunt, non tam φιλόσοφοι *quàm* φιλόδοξοι καὶ φιλήδονοι καὶ φιλοχρήματοι καὶ φιλοψευδεῖς, *sophistæ & sycophantæ potius, aut poëtæ aut moriones, quàm philosophi. Hos igitur portenta quædam protulisse, & de lana caprina inter se rixatos esse, quis miretur? præsertim cùm pauci eorum, oculos in cœlum sustulerint: sed pleriq́, in terrenis sordibus, animis & cogitationibus suis uersati fuerint. Sententia autoris hoc enthymemate comprehendi potest.*

Philo-

Philosophi pleriq́ ex diametro inter sese dissentiunt. Ergò doctrina eorum incerta est & repudianda. Nam inconstantia & repugnantia leuatur autoritas. Hoc eodem argumento nostra ætate non desunt, homines utiq́ improbi, & uitia Theologorum à Theologiæ ueritate non distinguentes, qui etiam Theologiā oppugnatum [illegible] quo maiore studio professoribus il[illegible]m est, ne moueant cer[illegible] [illegible]cessaria: Néue offendant ani[illegible], & ab omni studio [illegible] [illegible] quirimus: nosmet a[illegible] mus: nec lege pædagogo a[illegible] Christū [illegible], eaq́ quæ hic agenda erant, in aliam uitā differimus: quæ in alia uita cognoscēda sunt hic curiosè scrutamur. Sed & hac de re alibi pluribus actum est.

Οἱ μὲν γὰρ φασιν αὐτῶν.

Cum libellus hic & deprauatus & mutilatus sit: atque etiam plures unius eiusdemq́ sententiæ autores fuerint: de quibus nos for[illegible] accepimus, de nominibus autorum, [illegible] tribuuntur, non laborabimus. Qui autem, quid quiq́ philosophi uarijs de rebus senserint certius et accuratius co-

gnoscere cupit: is legat Physica & Metaphys. Aristot. Clementē Alexandrin. Euseb. de pręparat. Euang. Iustin. philosoph. & martyrem, Plutarch. de placitis, Diog. Laërtium de uita philosophorū: & ex recentioribus Desideriū Iacotium, tabulamq́; philosophicam: & si qui fortè alij huius generis libelli extāt. Quod autem ad dijudicandas opi[redacted] dissentientiū philosophorum attine[redacted]getur commentarius Ioannis Rosæ in 5. lib. Ciceronis de [redacted]bonorum & malorū [redacted] Cum nostro autem hoc [redacted]mprimis cōsentit Luciani dialogus, q ἑρμότιμος siue de sectis philosophorū inscribitur: cuius hic finis est: omninò nō esse philosophandū: primùm, q philosophi inter sese dissentiāt: neq; eorū cōtrouersia à quoquā dijudicari possint: Deinde q ijdē uulgo hominū, neq; sapiētia neq; bonitate antecellāt: sed magis etiā affectibus suis indulgeāt, libidinibus, ambitioni, auaritiæ, contentioni dediti. [redacted]) Deniq; ut aliqua uera philosophia sit, q inter tot dissensiones, iudiciū eius

ius rei adeò sit difficile: ut nemo sibi pollicere poßit, se optimã sectã esse amplexũ [redacted] *randu erat, ut Deũ diligeremus sup oĩa, & alterũ sicut nosmetipsos: quarũ rerũ cũ ad salutẽ maximè sint necessariæ, quotusquisq; est, q ullã uel cogitationẽ suscipiat, nedũ ut reipsa pstare conetur? Itaq; nõ sine cã timetur à prudentiorib. toti⁹ Europæ uastatio, & Turcica barbaries atq; Tyrãnis oĩa breui occupatura. Faxit Deus ut falsæ sint istæ opiniões: et hoĩes Christiani (q uocãtur) ad meliorẽ frugẽ se recipiãt.*

Ψυχὴν εἶναι τὸ πῦρ.

Ambiguũ utrũ de mundi anima loquatur autor, an uerò de humana? Fingũt autẽ Pythagorici, & hos secuti Platonici nõnulli, atq; etiã Virg. poëta, nescio quã animã mũdi,

o 4 *à Deo*

à Deo manantē,eiusq́ in gubernatione mun- [redacted] rebus conditis impertienda,quan- [redacted] quirātur. Qui igitur uni causæ accepta referunt oīa,cū longè plures cōcurrere sit necesse, pueriliter hallucinātur. Cuiusmodi & hæc uidetur esse rō,q̄ animā statuit esse ignē: qa uiderūt corpora uiua(aīam autē uitæ effectricē esse,nemo dubitat)calere,frigere cadauera.

Οἷον Δημόκριτος.

Fides sit penes autorē. Illud monendū est, singulis opinionibus autores suos subijciendos fuisse. Quod ubi factum nō est, apposuimus, ad librariorum negligentiam indicandam.

Οἱ δὲ τὸν ἀέρα.

Quia cōstat aīantes,intercluso spiritu,nō posse uiuere. Oi

Οἱ δὲ τὸν νοῦν.

Quia mens & ratio principatum tenent in homine unde is potißimum æstimandus est. Vegetantem enim animam (ut uocãt) hãbent etiam herbæ, stirpes & arbores. Sentiẽs autem anima homini cum brutis animantibus communis est. Quidam etiã saxis & stipitibus tribuunt animam συνεκτικὴν, *quæ efficiat, ne penitus in minutißimas partes, ut in nihilum redigantur.*

Οἱ δὲ τὴν κίνησιν.

Anima enim motum affert corporibus: qua siue extincta: ut in stirpibus & brutis: siue digressa: ut in hominibus, corpora iacẽt immobilia, instar saxi aut stipitis.

Οἱ δὲ τὴν ἀναθυμίασιν.

Ἀναθυμίασις *est uapor ille, qui è quacunque calida & humida materia exhalat, sursumque fertur, ut uidemus in feruenti aqua rebusque similibus. Atque adeò in suo quisque corpore hanc* ἀναθυμίασιν *singulis propè horis experitur. Nam cibi & potiones, præsertim acriores, è stomacho exhalãt in cerebrũ: & inde decidunt, uel in nares, uel in gingiuas, uel in fauces, uel in pulmones, uel in totũ*

corpus ſparguntur, & aut ſomnum concili-ant: aut membra liquore ſalutari humectãt: aut neruos cæteraſq; corporis partes uel obſi-dent, & uariis morbis ac doloribus afficiunt: aut certè sternutationes, tuſſes, ſcreatus, ru-ctus, & ſimiles deformitates inde oriuntur. Quò magis debebãt adoleſcẽtes, diu ſalubri-terq; uicturi, ſe aſſuefacere, ad ὀλιγοσιτίαν καὶ ὀλιγοποσίαν. Quò enim quiſq; minus ederit & biberit: eò facilius uẽtriculus clauditur: quò minus uapores in cerebrum exhalent, [illegible] exiſtit & ingenij acumen, & memoriæ firmi-tudo. Calor item ſtomachi facilius pauca concoquit quàm multa: meliorémque ſuc-cum & ſanguinem gignit, proſperæ ualetu-dinis & hilaris animi non minimas cau-ſas. Lycurgus autem Lacedæmonius, ſobri-etatem iſtam & parſimoniam, etiam ad ſta turæ proceritatem, & ad uitandum pin-guem aqualiculum cõducere arbitratus eſt. Videtur aũt autor hic loqui de ſententia Ga leni medici, qui putat, ſubtiliſsimos ſpiritus è ſanguine exhalantes, eſſe animam, & uim uitæ effectricem & conſeruatricem. Quod fortaſsis de anima uegetante & ſentiente ſa tis commodè dicitur. Sed an de mente & ra-tione idem affirmari poſsit: cum incorpore-um

um quiddam esse uideantur: etiam atque tiam uidendum est.

Οἱ δὲ δύναμιν ἀπὸ τῶν ἄστρων ῥέουσαν.

Hoc traditur in elegantibus illis uersibus Anthologiæ Græcæ: quos ascribere & ad uerbum interpretari, uisum est.

Quas planetæ septem uires, quasque affectiones in nobis excitent.

Septem multiuagæ per olympia limina stellæ
Discurrunt, æui rectrices totius orbis.
Nocte lucens Luna, tetricus Saturnus, Sol suauis,
Nuptialis Venus, audax Mars, aliger Mercurius.
Et Iupiter gignendi autor: à quo Natura germinauit.
Eædem mortalium genus impellunt: éstque in nobis
Luna, Iupiter, Mars, Venus, Saturnus, Sol, Mercurius.
Quando ab ætherio tributum nobis est spiritu, ut trahamus
Fletum, risum, bilem, procreationem, sermonem, somnum, appetitum.

Fletus

Fletus quidem est Saturnus, Iupiter procreatio, sermo Mercurius,
Iracundia Mars, Luna somnus, Venus appetitus.
Sol risus. Ob hunc enim uniuersa iure
Et humanus animus ridet, & Mundus infinitus.
Sed et Græcos uersus subijciamus, ut à studiosis memoriæ mandentur.

Εἰς τοὺς ἑπτὰ πλάνητας: καὶ τὰς ἐν ἡμῖν δυνάμεις καὶ πάθη.

Ἑπτὰ πολυπλανέες κατ᾽ ὀλύμπιον ἀστέρες οὐδας
Εἰλευῦται: καὶ τοῖσιν ἀεὶ κανονίζεται αἰὼν.
Νυκτιφαὴς μήνη, στυγνὸς κρόνος, ἥλιος ἡδὺς,
Πασοφόρος Παφίη, θρασὺς ἄρης, εὔπτερος ἑρμῆς,
Καὶ ζεὺς ἀρχιγένεθλος, ἀφ᾽ οὗ φύσις ἐβλάστησεν.
Οἱ δ᾽ αὐτοὶ μερόπων γένος ἤλασαν: ἔστι δ᾽ ἐν ἡμῖν
Μήνη, ζεὺς, ἄρης, παφίη, κρόνος, ἥλιος, ἑρμῆς.
Οὕνεκ᾽ ἀπ᾽ αἰθερίου μεμερίσμεθα πνεύματος ἕλκειν
Δάκρυ, γέλωτα, χολὴν, γένεσιν, λόγον, ὕπνον, ὄρεξιν.

Δάκρυ

Δάκρυ μέν ἐστι κρόνος, ζεὺς δὲ ἡ γένεσις, λόγος
ἑρμῆς,
Θυμὸς Ἄρης, μήνη δ' ἄρ' ὕπνος, κυθέρεια
δ' ὄρεξις,
Ἥλιος δὲ γέλος. τούτῳ γὰρ ἅπασα δικαίως
Καὶ θνητὴ διάνοια γελᾷ, καὶ κόσμος ἀπείρων.

Et quidem ſenſus communis & experientia docent, hæc inferiora & animari & gubernari & fœcundari à cœleſtibus corporib. Faceſſat autem ſtultiſſima calumnia eorũ, qui illoto ore euomere non dubitant, hac ſententia Deum ab adminiſtratione rerum humanarum remoueri: quod perinde eſt, ac ſi negarent, Deum hominibus impertiri uitã, propterea quòd homines à parentibus gignãtur: nec uita ſine cibo & potu & aere conſtare poſſit. Cœlum & terra, totaq; rerum natura, ut à Deo condita ſunt ad certos uſus: ita etiam inſtrumenta Dei ſunt: quibus ſuo arbitratu ad regendam rerum uniuerſitatem utitur. Neque uerò hinc ſequitur, ſolem cæteraſq; ſtellas eſſe adorãdas: niſi qs fortè etiã panẽ & aquam & aerem adorare uelit, quo quid ſtultius aut deteſtabilius fieri poſſet?

Οἱ δὲ ἀριθμὸν κινητικὸν καὶ μονάδα:
οἷον πυθαγόρας.

Pythagoras monadem diuinitati tribuit, quòd

quòd una sit diuina natura. Qua aūt ratione animum numerum esse dixerit, equidem me ignorare fateor, etsi prima Tusculana aliquid ea quoq; de re annotauimus. Numeri enim non sunt res subsistentes per se, sed accidentia, quæ ab humano ingenio rebus aliis pro paucitate aut multitudine distinguendis adhibentur. Ac expeditum est, opinionem istam refutare, partium enumeratione, hoc modo: anima neq; unum est neq; tria, neq; cētum, neq; mille, neq; millies mille, &c. ergò non est numerus. Quòd si quis dicat: eā appellari numerum, quòd tripartita statuatur anima: eadem ratione septem Planetæ, & Zonæ mundi, alia deniq; omnia, in quibus numerus aliquis & ordo constituitur, numerus appellabuntur: id quod à consuetudine recepti sermonis abhorret, proptereaq; repudiandum est, non minus quàm Stoicorum προηγμένα καὶ ἀπροηγμένα, *& similes nugæ, captandæ admirationis ergò excogitatæ. Si uerò Pythagoras, nescio quid mysterii hac appellatione celare uoluit: ego obscuram eius sapientiam, sine ullo detrimento ignorare, quàm curiosè (frustra præsertim) inuestigare malo: æquissimoq; animo derideri me patiar ab iis, qui se omnia diuinitatis*

arca-

arcana perſcrutatos eſſe profitentur. Rectè Eraſmus: Quorſum (inquit) attinet, ſe iis intelligendis torquere, quæ ipſe autor intelligi noluit? Ariſtoxeni autem Muſici, minus obſcura eſt ſententia: qui animam harmoniam appellauit, ſimilitudine à cantu, & muſicis inſtrumentis ſumpta. Sed quàm in paucis harmonia iſta comparet? Quotuſquisq; eſt, qui nō inſignē ratiōis & appetitus διαφωνίαν καὶ ἀναρμοςίαν, *cū in ſemetipſo, tū in aliis deprehēdat?*

Οἱ δὲ ἀριθμὸν κινητικόν.

Quam mouēdi uim numerus habeat: eqdē non uideo, Nā ſi totū campū Martiū numeris Arithmeticis cōpleueris, aut aureis nūmis millies mille, q motus inde exiſtat neq; ſentio neq; intelligo. Nā quòd qui aurū illud uiderēt, auidè expetituri eſſent: is motus animi humani eſt, nō numerorum aut nummorum. Obiecta enim, ut uulgò dicunt, mouent ſenſus: ſed nō per ſe. Nā alioqui ſi illa mouendi uis in iis ipſis ineſſet: mouerēt etiā lapidē & ſtipitē: mouerēt etiā uiros ſapiētes & conſtātes: q multas externas res uulgò expetitas aſpernantur, & cum contemptu prætereunt.

Οἱ δὲ ὕδωρ γονοποιόν.

Cū aīa uitā præſtare uideatur corporib.
ortus

ortus autem non animãtium modo, sed etiã inanimarum rerum, aut humore, aut certè putrefactione, quadam (quæ et ipsa humida est) constet: statuerunt, in humore esse uim uitalẽ, unde ipsa uita oriretur. Verùm hi defixos habuerũt oculos in terrenis sordibus: solamq́ materiam considerarunt: quæ sine causa superiore, nullam habet efficacitatem.

Οἱ δὲ στοιχεῖον ἀπὸ στοιχείων.

Obscura oratio est, & ænigmatis instar: perinde ac si dicas: est homo ab homine. Quod equidem aliter non possum intelligere (modò scriptura non fallat. Et est quidẽ, ut ante dixi, libellus hic deprauatißimus) quàm ut sit elementum ab elementis procreatum, id est, effectus quidã elementorũ: quæ uim suam contulerint ad naturam quãdam peculiarem efficiendam: ut si è uaria multiplicíq́ materia conficiatur unum quoddam pharmacum, cuiusmodi est Theriaca. Difficile sanè est, ueterum philosophorum et poetarum allegorica & obscura dicta, quæ illi non nisi auditoribus suis nota esse uoluerunt, certò interpretari. Indignos enim iudicarunt homines intemperantes præclarißimarum rerum cognitione: & ignauos ea ipsa obscuritate,

tate à cognoſcenda illa doctrina abſterrere uoluerunt. Hinc eſt illud Heracliti: σκότισον, σκότισον. Sed tamen huius (quiſquis ille fuit) autoris ſententiam eam eſſe puto: animam exiſtere è proportione quadam quatuor elementorum inter ſeſe: ut habeat aliquid caloris, aliquid humoris, aliquid frigiditatis, aliquid ſiccitatis: unde temperies quædã & uiuifica uis exiſtat, quæ anima appelletur. Equidem nihil affirmo: ſed coniecturas meas ac ſomnia potius quædã (ne & ipſe à philoſophia ſomniatrice alien⁹ eſſe uidear) expono.

Οἱ δὲ τὸ αἷμα.

Coniuncta eſt hæc opinio cũ illa de exhalatione, ſiue ſubtiliſſimis ſpiritibus. Illud certè conſtat, omni ſanguine effuſo uitam interire, unde apud Virgilium dicitur: Purpureã uomit ille animam. Nam è ſanguine ſpiritus illi & exhalationes exiſtunt: ſicut ex aqua terraq; uapores & nebulæ. Cæterùm animã humanam non poſitã eſſe in ſanguine Chriſtus ipſe docet. Pecudum autem animam nihil aliud eſſe niſi ſanguinem: Moſes apertè pronunciat.

Οἱ δὲ τὸ πνεῦμα.

Conuenit cum eorũ ſententia, qui animã eſſe aerem dixerũt: niſi fortè argutari libeat

(id quod minimè opus est) aerem esse elementum: spiritum uerò in corporibus animantium uersari: quasi uerò non & is ab aere existat, eodemq́ conseruetur.

Καὶ οἱ παλαιοὶ τὰ ἐναντία.

Vetustißimi siue σοφοὶ siue philosophi sunt, apud Græcos quidem: uel septem illi uel plures (de numero enim eorum, scriptores non consentiunt) sapientes, & horum discipuli Pherecydes, Pythagoras, cæteriq́, quorum opiniones hactenus sunt exposita. Nec ego his ullos uetustiores (apud Græcos quidem) exceptis poetis Orpheo, Homero, Hesiodo, Musæo, reperio. Legendum igitur uidetur καὶ ἄλλοι πολλοὶ τὰ ἐναντία, *hoc est, alij multi contraria. Etsi profectò uix ulla afferri posse uidetur opinio, quæ non cum iis, quæ iam exposita sunt, aliquo modo consentiat, nisi fortè quis monstris aliquibus delectetur.*

Πόσοι λόγοι περὶ τούτων.

Enumerationi pugnantium inter sese opinionum subijcit exclamationem, ab indignatione ortam.

Σοφιστῶν.

Sic appellantur, autore Cicerone, ac Platone potius, qui quæstus aut gloriolæ gratia phi-

philosophantur. Et quidem inter eos, qui philosophorum nomen sibi arrogarunt, pleriq; sophistæ extiterunt: nec alium sibi finem proposuerunt, nisi ut nouitate opinionum frequẽtes auditores ad se pellicerẽt, ab ijsq; aut nummos acciperent, aut noui autores cum admiratione uulgi haberentur. Quod utinam non & nunc pseudotheologi quidam facerent.

Ἐρεζόντων μᾶλλον, ἢ τὰληθὲς εὑρεσκόντων.

Sic & Cicero dicit: Græcos homines contentionis esse cupidiores quàm ueritatis. Sic & nos Christiani (ut quidem nominamur) malumus de Euangelio rixari, quàm ex Euangelij præscripto uiuere: cum Christus dicat: qui me amat, sermones meos seruabit: &, eũ qui audiat & faciat, cõparet uiro sapienti, q in petra exædificarit domum suam.

Εὑρεσκόντων.

Et quidẽ ueritatis inuẽtio difficilis est in reb. naturalibus: quarũ doctrinã Cicero nõ sine causa, naturæ obscuritatẽ appellauit: & Virgilius felicẽ eum pronũciat, qui potuerit rerũ cognoscere causas. Sed uidetur autor εὑρεσκόντων *posuisse pro* ζητούντων. *Ac Lactantius negat, philosophos ea de causa inuenisse*

 ueri-

ueritatem: quòd eam non in cœlo, sed in terris quæsierint.

Ἀλλὰ γὰρ ἔστω.

Transitio à natura seu substantia animi, ad eius affectiones, & siue uim, siue permasionem. Est autem figurata concessione usus per subiectionem: quasi dicat aduersarius: ut ortum animi ignorarint philosophi, tamē aliis in rebus de eo consenserunt, præclareq́ senserunt. His respondet autor per inficiationem: imò, inquit, eædem & hic sunt dissensiones & ignorationes, idq́ ita esse probat enumeratione diuersarum opinionum.

Καὶ μὴν ἄλλοι τὴν ἡδονήν.

Duplicem esse uoluptatem, aliam corporis, animi aliam: item aliam honestam, aliam turpem, aliam ancipitem seu indifferentem, & id genus alia, ad eandem hanc quæstionem pertinentia in commentariis Catonis Ciceroniani tractauimus.

Αὐτῆς ὁ μέν τις ἀγαθὸν καλεῖ.

Verba sic ordinanda sunt: ὁ μέν τις (*scilicet* τῶν φιλοσόφων) καλεῖ τὴν ἡδονὴν ἀγαθὸν αὐτῆς (τῆς ψυχῆς.) *Videtur autem hic loqui de finibus bonorum, & animo soli tribuere, ut præcipuæ parti ac præstātissimæ, id quod*

quod est totius hominis. Tractata & hæc quæstio est alibi.

τὴν δὲ φύσιν αὐτῆς.

τὴν δύναμιν καὶ διαμονὴν, *uim & permansionem. Nam supra de ortu siue materia animi locutus est, quæ & ipsa* φύσις *dici pōt.*

οἱ μὲν ἀθάνατόν φασιν.

Hæc sententia, autoritate Euangelij confirmata, tenenda est, contra omnes argutias medicorum & philosophorum. Et quidem mirabilia humanæ mentis opera arguunt ipsius diuinitatem & æternitatem: quod argumentum etiam in Axiocho Platonis præter cætera celebratur.

οἱ δὲ θνητήν.

Qui intuētur ortum, obitumq́ hominis, solumq́ corpus spectant, & ætatū incrementa & decrementa, morbos etiam & uarias affectiones, & stultas opiniones, easq́ diuersissimas (exemplo sint uel eæ quæ hic recēsentur) & belluinos quosdam impetus: ac potius plus quàm belluinos, cuiusmodi sunt ebriosorum & militarium hominum: ij non abhorrent ab hac opinione: quòd scilicet tanta peruersitas & stulticia in naturam diuinam et immortalem nequaquam cadere uideatur. Sed adhibendum est primum discrimen rationis.

tionis & appetitus: deinde distinctio instrumēti ab artifice, & hospitis à diuersorio. Animus rationis capax, artifex est & hospes: corpus, instrumētū & diuersoriū. Morbi igitur qui animū impediūt, similes sunt prauo & corrupto instrumēto: aut angusto fumosoq́ diuersorio: in quo hospes ꝑ se præstātissimus, malè tractetur, nec dignitatem suā tueri possit. Atq́ hæc etiā Aristotelis sententia est, animum senescere negantis: sed perpetuò uigere existimantis. Quòd autem senes & ingeniis minus ualeant, & sensibus sint hebetiorib. id accidere propter uitia instrumētorūq; quæ Græcè αἰσθητήρια *dicūtur. Sic uir fortissimus, in uincula cōiectus, & angusto carceri inclusus, uirtute sua uti non potest, quāuis (ut Diogenes dicebat) Leo etiam captiuus sit Leo.*

Οἱ δὲ πρὸς ὀλίγον (χρόνον) διαμένουσαν.

Scilicet τῷ σώματι, *id est*, μένουσαν μετὰ τὴν φθορὰν τοῦ σώματος. *Plato in Phædone inter alia argumenta, quibus animorum immortalitatem probare cōnatur; etiā hoc affert à minori ad maius ductum: Si, inquit, corpora, quibus uitā impertit anima, post animæ discessum permanent integra (ui detur aūt alludere ad* τὰς τῶν αἰγυπτίων τα-

ει-

ειχέιας) quãtò pbabilius est, animã, quæ nõ à corpore accepit, sed corpori impertierit uitã, factã separatione, fore superstitem?

Οἱ δ᾽ἐξ ἀποθηριοῦσιν αὐτὴν.

Pertinet hoc ad Pythagoricam siue μετεμψύχωσιν, siue μετενσωματωσιν, siue μεταγγισμὸν: quæ cõmenta & Plato in Timæo tradidit: & hunc secutus Cicero in libro de uniuersitate: q est interpretatio quædam siue παρά φρασις libri illius Platonici. Alij nõ ita sensisse Pythagoreos opinantur, sed ἀλληγορικῶς significasse: eos qui brutis affectib. agitarẽtur, et rationẽ appetitui obediẽtẽ nõ pberẽt cuiusmodi sunt homines gulosi, libidinosi, auari, iracũdi, ãbitiosi, crudeles, impij: q flagitiis et scelerib. pascerẽtur: nõ hũanis, sed belluinis animis esse pditos. Sic tyrãni erũt Leões, lupi pdones, uulpeculæ sophistæ, sycophãtæ & hypocritæ: hirci, homines pfligatæ libidinis, canes adulatores: simij histriões, & sic de reliquis Nã hac μετεμψύχωσις pẽdet à pprietatibus animantium. Sed si uerè scribitur, Pythagoram monuisse quendam, ne uerberaret canem: quòd illi anima summi illius amici inesset: uidetur aut reuera ita sẽsisse, aut, se ita sentire, simulasse. Fuit enim præstigiator eximius Pythagoras, ut qui & aureũ femur osten-

ostentarit, & patre Mercurio se natum esse dixerit: cuius munere oĩa meminisset, quæ apud inferos agerẽtur, et aliquãdo simularit, cum per aliquot dies se speluncæ cuidam inclusisset, se redire ab inferis, & mirabilia quædam narrauerit. Ac illius opinionis hæc fortasse causa fuit: quòd statuerũt (ut Cato apud Ciceronem disserit) animos hominũ ab uniuersa mente diuina delibatos, si dignitatem suã in hac uita retinuerint (hoc est, si appetitum menti obedientem præbuerint: qđ quidem omnium hominum est officiũ) post interitum corporis in cœlum esse reuersuros. Sin libidinibus & prauis cupiditatib. indulserint: omniaq́ & diuina & humana iura uiolarint: in alia atq́ alia tam hominum utriusq́ sexus, quàm uariorum animantium corpora, deniq́ in stirpes etiam transituros: nec nisi multis exagitatos seculis, in cœlum redituros. Fuit igitur Pythagorica μετεμψύχωσις *non dissimilis pontificiorum igni purgatorio. Quam sententiam apertè pronunciat Hermes Trismegistus. Hanc opinionẽ & Cicero tradit extremo somnio Scipionis.*

Οἱ δ᾽ εἰς ἀτόμους διαλύουσιν.

Democriti & Epicuri, & ante hos Leucippi qui

qui Democriti magister fuisse perhibetur, opinio fuit, ex atomis, id est, ita minutis quibusdam corpusculis, ut nullam sectionem seu diuisionem admittãt, orta esse omnia: in eademq; resolui. Quam quidem sententiã, non indoctus quidam homo (Vuilhelmus Aneponymus, libro de substantijs Physicis) non adeò absurdam esse censet: si intelligatur de natura corporea: quæ à minutissimis principijs ad sui perfectionẽ progrediatur: ut è minutissimo fici grano, fit ficus arbor. Etiã Simplicius, doctissimus philosophus, ab ea opinione non admodum abhorret: cum tradit, mortuo animante, singulas partes redire ad suas ὁλότητας. *Qui uerò animum cœlestem esse statuerunt & diuinum: reditum illi ad superos promiserunt. Ac de elementis extant & Euripidis & Epicharmi uersiculi: quos prima Tusculana adduximus.*

οἱ δὲ τρεῖς ἐνσωματοῦσιν.

Plato ait, τὴν πορείαν εἶναι χιλιετῆ, *id est, animas intra cœlum & terram (qui sit ortus & interitus locus) uolutari mille annos, mutandis subinde corporibus. De tribus autem millenarijs, aut terna in corpora migratione, nihil memini me legisse. Et quidem, proh dolor, plurima studiosè legi, quæ in tot morbis,*

tot uitæ locorumq́, & librorum mutationibus, in tam uaria & diuturna seruitute, mihi exciderunt. Fides igitur huius opinionis, ut & aliarum quarundam penes autorem esto: quem probabile est, multos scriptores habuisse & legisse, qui ad nostram ætatem non peruenerunt. In causa sunt bibliothecarum conflagrationes, & direptiones bellicæ, aliquando inundationes: interdum negligentia eorum penes quos sunt libri: qui patiuntur eos aut computrescere, aut à blattis & tineis erodi. Sed non minimam partem nocuerunt in hoc genere, superstitiosi sacrificuli & monachi incendiarij librorum. Qui tamen peioribus relictis, sæpè meliores aboleuerunt.

Καὶ γὰρ οἱ μηδὲ.

Adijcit argumentum ab absurdo (ut ipse putat) qua ratione à compluribus & Philosophi & Cosmographi & Astrologi, homines deniq, eruditi omnes exagitari solẽt. Sic Diogenes quendam de rebus cælestibus disserentem, interrogauit, quampridem è cælo aduenisset? Et quidem, si corporis spectentur angustiæ, non fit illis iniuria. Neq, enim quisquã philosophorum & mathematicorum uel cælum conscendit, uel totum terrarum orbem peragrauit. Sin mẽtis amplitudo cõsideretur,

&

& plurimorũ præstantiũ ingeniorũ inuẽtiones & obseruationes spectẽtur: fortasse cognitio humana ulterius progredi potest, & præsentia cõnectere cũ præteritis et futuris: id quod propriũ sapiẽtiæ munus est. Quòd si corporei oculi stellas infinito penè interuallo distantes aliquo modo uidere possunt, & amplissima cælorum terrarumq; spacia, uno quodam obtutu cõtueri: quis nõ fatuos eos esse statuat, aut certè impudẽtes scurras, q talib. cauillationibus humani animi diuinitatẽ & immensitatem student eludere? præsertim si ad reliquos in natura humana diuinæ sapientiæ igniculos, diuina patefactio accesserit. Illud quidem rectè reprehenditur, si qui sunt, qui ijs de rebus disserunt, quas neq; sensu & experientia, neq; ratione & demonstratione, neq; diuinò quopiã oraculo cognitas habent. Ex quo genere est & hæc opinio de trium millium annorum circuitu: uel potius de tertio animorum in alia corpora ingressu.

Ταῦτα οὖν τί χρὴ καλεῖν;

Enumerationi opinionum, subijcit dubitationem, quo satis contumelioso nomine istæ opiniones sint appellandæ?

Τερατείαι.

Præstigiæ falsam speciẽ ingerũt oculis, ut cũ

Prætides

Prætides implerunt falsis mugitibus agros.
Sæpè leui frustra quærentes cornua fronte.

Ἄνοιαν.

Amentia corrumpit iudicium mentis.

Μανίαν.

Hæc omnes animi partes, τό, τε ἡγεμονικὸν, καὶ τὸ θυμῶδες, καὶ τὸ ἐπιθυμητικὸν *corrumpit.*

Στάσιν.

Vt dißidium priuatæ familiæ, sic seditio Reipublicæ summum est malum, tantoq; bello deterior, quantum pax bello præstat. Confert igitur autor ciuitatem (ut ita dicam) philosophorum, statui Athenarũ sub triginta Tyrannis: aut Romæ sub Mario, Sylla, Cæsare, Pompeio, &c. quarum urbium historias qui cum iudicio legerit: nihil neque insanius neq; miserius fieri potuisse deprehendet.

Εἰ μέν τι ἀληθὲς εἰρήκασιν.

Sententia est, philosophos qui inter sese dissentiant, ignorare ueritatem: quæ simplex sit non multiplex: neq; causam habere, cur postulent, ut sibi quicquam assentiatur.

Ὁμολογῶ γὰρ ἄχθεσθαι.

Hæc cũ & supra exposita, & ῥητορεύματα *potius sint, quàm* φιλοσοφήματα*: nihil est, cur in ijs explicandis immoremur.*

φοβοῦμαι

φοβοῦμαι τὸ σῶμα.

Corpora tam hominum quàm animantium & stirpium, cõstare dicuntur ex elementis. Fingit igitur autor, deridendi causa, ignorare se cuiusmodi corpus habeat? humanum'ne an belluinum? Sed cum (ut physici loquuntur) forma det esse rei, id est, rem ipsam cõstituat: & nemo, nisi cæcus aut amẽs, ignoret, quæ forma externa hominis, quæ canis, quæ aliorum animantiũ sit: Hermias noster licet in speculo se contempletur, ut expauescere desinat.

Καὶ θαύμαστόν μὲ ποιεῖ.

Est digna philosopho consideratio studiorum humanæ uitæ. Nam qui genio tantùm indulgent, seq́ cibis & potionibus ingurgitant: stirpium uitam agunt: quæ & ipsæ radicibus suis & pastum & potum sibi conuenientem attrahunt. Qui uerò aliorum sensuum illecebris ducti, mentem non excolunt: nihil differũt à pecudibus & bestijs. Qui autem animos suos pulcherrimarum rerum cognitione exornant, & in uirtutis stadio decurrunt: ij ad geniorum quandam similitudinem accedunt. Sic homo & stirps est, & bestia, & genius: ac potius quiddam ex his tribus conflatum atq; compositum. Nam etiam

sapien-

sapientißimi, nec uictu nec sensibus carere possunt sine calamitate & interitu: quamuis mallent (si fieri posset) soli rerum cognitioni uacare.

Ὅπου τοίνυν τὴν ἀνθρώπου.

Posteaquam, expositis diuersis sententijs, ostendit, philosophos neq; de ortu & natura animi, neq; de finibus bonorũ, inter sese cõsentire: argumentatur à minori ad maius & cõcludit: eos de rebus extra hominem positis: ut de uniuersitate, ipsóq; Deo, nihil habere comperti: id quod ingenuè cõfessus est Simonides Melicus: q quò diutius qd esset Deus cogitasset, eò minus Dei naturam reperire potuisset.

Ἐκζητοῦσι τὴν τῶν θεῶν αὐτῶν.

Cõsulantur libri Ciceronis de natura Deorum, in quibus tametsi praeclara quaedam insunt: tamen ineptißimis & monstroßißimis, nõ quidem ipsius Ciceronis, sed poëtarum & uulgi opinionibus sunt referti.

Οἱ τὸ ἴδιον σῶμα οὐκ εἰδότες.

Extat praeclarum opus Galeni, περὶ τῆς τῶν ἐν ἀνθρώπου σώματι μορίων χρείας, *in quo diuinum opificium cõdendi hominis subtiliter explicat. Et tamen plura eaq; admirabiliora pretermittit. Cuiusmodi est (ut unum aliquid*

quid exempli gratia afferam) conuerſio cibi & potionis breui tempore in ſanguinem, carnem, cæteraq; mẽbra corporis. Alioqui enim neq; pueri grandeſcerent: neq; adulti uiuerẽt diutius, niſi id quod indies è corporibus exhalat & decedit, cibo & potu inſtauraretur. Iucundi item & utiles lectu ſunt, libri de animo ſcripti: etſi in ijs plura ignorantur quàm explicantur. Et puto Hermiam ipſum, eadẽ illa, quæ philoſophorum & medicorum curioſitatem fefellerunt, æquè ignoraſſe.

Περὶ τὰς ἀρχὰς τῆς φύσεως.

Tertius locus diſſenſionis philoſophorum: in quo quæritur, quæ prima cauſa & origo fuerit rerum omnium? Ac ſacrarum literarum autoritas, atq; adeò ipſa humana ratio, neminem dubitare ſinunt, quin omnia & orta ſint diuinitus & conſeruentur. Quod & pleroſq; philoſophos ſenſiſſe, probabile eſt: qui tamen ſecundas quoq; & propiores cauſas indagare ſtuduerunt. Deridetur enim ab Aeſopo Xanthus quòd hortulano, quærẽti, cur natiuæ herbæ ſatiuis celerius & uberius prouenirent? reſpondet, id quoq;, ut & alia, diuina prouidentia fieri: & addit memorabile dictum; ἀπὸ θείας προνοίας γίνεται: τοῦθ' ὑπὸ σοφῶν ἀνδρῶν τυγχάνει τῆς λύσεως:

hoc

hoc eſt, ea quæ à diuina prouidentia fiunt, à uiris ſapientibus explicantur.

Ἀρχὴ πάντων ὁ νοῦς.

Si mens diuina, cauſa boni in natura, id eſt, Deus ipſe, qui mens & ſpiritus eſt, intelligitur: præclarè ſenſit Anaxagoras: & cum Moſe, Prophetis atq; Apoſtolis conſenſit: neq; quicquam aut uerius aut præclarius dici poteſt.

Καὶ παρέχει τάξιν.

Hoc ſi candidè intelligatur, non modò ferri, ſed etiam laudari poteſt: ut ſit ſententia: Omnia quæ in natura rerum præclarè ordinata ſunt, diuinitus eſſe conſtituta. Atq; etiam regna & reſpublicas, eſſe opus Dei. Sed ſubeſt ſuſpitio quædam de chao: quod deſcribitur ab Ouidio Metam. I.

Ante mare & terras, &, quod tegit omnia, cælum

Vnus erat toto naturæ uultus in orbe, &c.

Itemq; I. Faſtorum. Vnde coniicere licet, eum ſtatuiſſe duo principia (quod cum Theologorum ſententia pugnat) cauſam efficientem, id eſt, Deum, & chaos, id eſt, materiam uariarum formarum receptricem. Citatur enim dictum eius huiuſmodi: ἐν ἀρχῇ πάντ' ἦν ὁμοῦ: ὁ δ' ἐν νοῦς ἐπελθὼν ταῦτα διεκόσμησε. *Quanquam*

ſi

si rerum omnium principium est mens: etiã chaos siue materia ortum à mẽte habet. Neq; enim Deus faber lignarius aut cementarius est, qui sine lignis & lapidibus struere nihil possit. In Deo enim & ex Deo & per Deũ sunt omnia: neq; extra Deum est quicquam. Disputationes autem de peccato, ad hunc locum non pertinent: in quo de sola conditione mundi agitur.

Καὶ οὗτος αἴτιος.

Ergò conditor est Deus rerum omnium, καὶ κύριος τῶν ὅλων, & gubernator uniuersitatis rerum: quas suo arbitratu disponit & mutat. Etsi philosophi non facilè admittunt mutationem in rebus semel à Deo constitutis. Nam si uir sapiens (inquiunt) non temerè à sententia sua discedit: quamuis regatur temporibus: quantò minus id facere Deum est cõsentaneum? cui & præterita & futura omnia explorata, & (ut ita dicam) in cõspectu sunt. Sed hic adhibenda est quædam distinctio: ut intelligatur non mutari Deum, nec aliàs alia constituere: sed semel decreta certo ordine exequi: cuiusmodi sunt anni temporũ mutationes, dierum atq; noctium uices, mutationes tempestatum, atq; imperiorum, & similia. Et quæ in sacris literis de Dei affecti-

bus & mutationibus extant tradita, nō ſimpliciter intelligenda ſunt, ſed ἀνθρωποπαθῶς: ſcriptura ſe humanæ imbecillitati accommodante. Neq; uerò medicus inconſtans eſt, cum pro morborū uarietate uaria adhibet remedia: cum habeat ſua de ſingulis morbis certa dogmata. Sed hæc ſubtilius exquirenda non ſunt, cum pertineant ad arcana æternitatis, quæ mortalium nemo unquam comprehendet: ac potius curioſiſsimi, & ſua opinione acutiſsimi homines, huiuſmodi rebus indagandis in Labyrinthos incidunt irremeabiles. Qui enim ſcrutatur maieſtatem, opprimetur à gloria. Vnde factum eſt, ut alij prouidentiam diuinam prorſus tollerent: & aut temerè caſuq́; ferri omnia, aut tantùm ab aſtris & elemētis regi, ſtatuerēt. Hinc illud eſt

Ludit in humanis diuina potentia rebus,
Et certam præſens uix habet hora fidem.

Eôdem & Socratis dictum pertinet, qui ſe putare dicebat, Deos, cum magnos hominum conatus, in rebus inaniſsimis, eoſq́; irritos, cernerent: nihil niſi ridere. Quæ ſententia (niſi commoda interpretatione leniatur) prorſus nihil ab Epicurea ἀπρονοησίας diſcrepabit: Alij Deum eundem tam bonorum quàm malorum omnium, & flagitiorum hominū,

&

& diaboli mendaciorum atq; cædium autorẽ esse, affirmare non dubitarunt. Boëtius uerò dubitauit ea de re: cuius sententiam hoc uersiculo sum complexus.

Quis mala? si Deus est: si non est: quis bona fecit?

Theologi recurrunt in hac quæstione ad liberam uoluntatẽ Luciferi & hominis: qua nullum maius bonum eis tribui potuerit. Sed curiosi homines, nec satis pij, conqueruntur, furioso gladium in manus esse traditum, quo et se & omnem posteritatem iugularet. Simplicius uerò Enchiridij Epictetei interpres, ad ordinem et ornatum uniuersi pertinere hanc distinctionem & hosce gradus cõditoris Dei, constantium angelorum, & inconstantium, & hominũ lapsorum in deterius, existimat: nec (ut mihi uidetur) ulterius humana ratio potest progredi. Alij duos diuersos Deos statuunt, ut Manichei, qui id dogma à Persarum Magis acceperunt, unum bonum, bonorum omnium autorem: alterum malum, à quo calamitates, flagitia & scelera oĩa oriãtur. Hinc esse uices salutis & interitus, tantãq; incõstãtiã rerũ omniũ: nũc bono, nũc malo Deo, potẽtiã suã exerẽte. Sed præstabat his & huiuscemodi q̃stionib. omissis, dare operã,

ut Deum amaremus super omnia, & alterũ æquè atq; nosmetipsos. Quo in studio qui dies noctesq; uersati fuerint, ijs profectò non erit ocium, de rebus, quæ captum non hominum modò, sed & angelorum omnium excedunt, temerè & frustra atque adeò impiè philosophandi.

Καὶ παρέχει τάξιν.

Hæc disertißimè ab Ouidio explicantur: neq; dici quicquam diuinius potest. Anaxagoras igitur hic uerè philosophus est ac potius Theologus: à cuius sententia cæteri qui dissenserunt, non philosophi, sed aut μωρόσοφοι, *aut sophistæ & sycophantæ sunt habendi. Philosophia igitur (hac quidem in parte) nõ suo, sed aut stultorum aut improborum hominũ uitio malè audiet.*

Τὴν ὀσίαν ἓν εἶναι.

Videtur & Parmenides non minus quàm Anaxagoras Deum his uerborum ambagibus describere. Deus enim ut uera mens, ita etiam uera essentia est: & est æternus & infinitus & immobilis (neque enim mutatur ut homo) & ab omni parte sui similis: si tamen sic de Deo loqui licet. Nihil igitur uidetur inter Anaxagoræ & Parmenidis sententiam interesse, quanquã diuersis uerbis utantur.

Τὸ

Τὸ πᾶν ἐστιν ἀήρ.

Friuolum hoc est atq; ineptũ, uni elemento tribuere causam rerum omnium: cùm ipsa quatuor elemẽta, materia tantùm sint, unde existunt composita corpora (ut loquuntur physici & medici) tùm animantium, tum rerum anima & uita carentium. Non igitur hîc altè spectauit: sed humi defixos oculos habuit: ut indignus esse uideatur philosophi nomine.

Καὶ ἔστι πυκνούμενον.

Hæc non inerudite dicuntur: tametsi iocis & ludibrijs imperitorum obnoxia. Tradunt autem physici & attestatur experientia, sensusq; communis, terram densissimum esse elementum. Aquam paulò tenuiorem, aërem plus etiam habere subtilitatis, ignem autem omnium esse tenuissimũ. Verùm hoc de igni puro, & ab omni materiæ concretione segregato (qualem nos nullum uidimus) est intelligendum. A terra igitur si inchoes: ascenditur usq; ad ignem, & ab eodem rursus descenditur usque ad terram: ac rarefactio siue extenuatio posita est in ascensu: densatio uerò in descensu. Nam quatuor elemẽta in perpetua mutatione, & ἀναβάσει καὶ καταβάσει uersantur. Ac extitére nonnulli, aut nimis

freti ingenijs, aut præstigijs diaboli delusi, aut certè supra modum arrogantes, qui ἀναλογίαν, & proportionem inter sese elementorũ, definire nõ dubitarint: quos opinione sua beatos esse, nos facilè patimur.

Εἰ δὲ πυκνωθῇ, φύσιν (uel φησὶν) ἐξαλλάσσει.

Aërem ait, suapte natura tenuem esse & subtilem: id quod sensu & experimento constat. Cùm uerò exhalationibus terræ & aquarum crassescit: naturam suam quodammodò amittit. Subtile enim & crassum inter se pugnant.

Ὁ δὲ Ἐμπεδοκλῆς.

Vita huius & dogmata cum sint à Diogene Laërtio copiosè descripta: quorsum attinet alienis uerbis commentariolum hunc refercire? Cum ipse autor & in promptu sit: & propter multiplicem & uariam eruditionẽ, ab omnib. studiosis legi studiosissimè debeat.

Ἔχθρα καὶ φιλία.

Fuit Empedocles ἐποποιὸς, *id est, scriptor Hexametri carminis: naturamq́; rerum descripsit, non tantùm philosophico more sed etiam*

tiam poëtico: & elegantibus figuris, lectorem non erudire tantùm, sed etiam delectare studuit. Ea autem quæ de lite & amicitia, siue de concordia & discordia (quod perinde est) tradidit: referenda sunt ad corpora animantium maxima ex parte: in quibus dum quatuor qualitates, frigoris, caloris, humoris, siccitatis, iustam proportionem obtinent: nulla earum uel abundante uel deficiente: ea est concordia & conseruatio animantium. Cum uerò aliæ deficiunt, aliæ redundant: eorundem consequitur interitus. Physicum hoc dogma non incommodè etiam ad œconomias & respublicas potest accommodari: quas & ipsas concordia conseruat, discordia dissipat. Hinc est celebratum illud Sallustij: Concordia paruæ res crescunt, discordia magnæ dilabuntur. Constat autem concordia, proportione siue æqualitate. (Nam quæ Aristoteli ἀναλογία est, eam ἰσότητα uocat Isocrates) eáque non Arithmetica, quæ numerum spectat & magnitudinem: sed Geometrica: in qua ratio habetur meritorum & dignitatis. De quibus tamen ipsis, legibus et institutis potius, quàm aliqua certa & explorata ratione iudicatur: et sæpè uillicus (si uis ingenij spectaretur) hero

ſuo iure optimo imperaret. & quidem fit hoc plerunq;, uel in aulis principũ: ubi plebeij homines, uel calamo uel lingua commendati, ipſis imperãt imperatoribus. Sed hæ leges atq; inſtituta, eò minus improbantur à doctis: quòd alioqui tot & tantæ contentiones honorum & præmiorum exiſterent (ut in Romana ciuitate ſæpius factum eſt) ut nullus earũ neq; finis neq; modus eſſe poſſet. Summa tamẽ inæqualitas & πλεονεξία potentiorum pro uirili moderanda eſt.

Τὸ νεῖκος αὐτῶν ποιεῖ τὰ πάντα.

Perinde eſt ſiue dicat contentionem ſiue concordiam efficere omnia. Nam concordia quidem iungit, ſed diſcordia dirimit elementa: eſtq; unius interitus, alterius cuiuſpiam rei ortus.

Καὶ ὅμοια καὶ ἀνόμοια.

Videntur hæc eſſe paradoxa & contraria: & reuera ſunt, niſi diuerſo reſpectu intelligantur. Ac quædam inter ſe ſimilia, diſsimilia quædam eſſe, nemo non uidet. Sunt enim alia σύγγενῆ, eaq; ſimilia: ut animalia, quæ ex ijſdem elementis conſtant: multoq; magis τὰ ὁμοειδῆ, id eſt indiuidua, quæ ijſdem formis ſubijciuntur, ut Socrates & Plato, Cyl-

larus

larus & Bucephalus: alia ἑτερογενῆ καὶ ἑτεροειδῆ, *ut asinus & saxum, & piscis & auis.*

Καὶ ἄπειρα.

Nihil in hac rerum natura esse infinitũ, probat Aristoteles circulari cœli figura. Angustiis quidem nostrorum sensuum natura rerum uidetur esse infinita: qui circa centrũ hærentes, ad circumferentiam sese extẽdere nequeunt: sic homines, longo tempore, è patriæ suæ finibus nõ egressi, suscepta paulò longinquiore profectione, mirantur uastitatem & amplitudinem terræ.

Τὰ ἀΐδια καὶ γινόμενα.

Τὰ γινόμενα *sunt etiam* φθειρόμενα: *his opponuntur* τὰ ἀΐδια. *Plerique autem philosophi in ea sententia sunt, ut statuant, cœlestia illa corpora esse æterna, quòd simplicia sint, nec ab aliquo contrario corrumpantur. Ea uerò quæ infra Lunæ orbem sint, esse caduca, & uariis obnoxia mutationibus. Etsi Aristoteles in hoc Pythagoram secutus, ne illa quidem unquam peritura putat: sed locis & temporibus & formis tantùm quibusdam uariari.*

Ὅρος καὶ κρίσις.

Sententia est, quicquid cuique uideatur, id

esse uerum: hoc est, nihil esse certi & definiti in natura rerum: sed (quod uulgo dicunt) mundum regi opinionibus. Nimis absurda uidetur hæc sententia Protagoræ: nisi commoda interpretatione leniatur, hoc fortasse modo: eam esse humani ingenij præstantiam, ut perspiciat naturam rerum, útque res aliter se non habeant, quàm ingeniosus, eruditus & diligens iudicet. Etsi nec hoc ipsum multum firmitatis habet: propter ingeniosissimorum, doctissimorum & diligentissimorum hominum multiplices uariis de rebus inter sese dissensiones. Exemplo sit, quæstio de Deo: quem alij unum, alij nullum, alij plures statuunt: alij res humanas curare, alij negligere contendunt: ne pluribus exemplis utamur. Cæterum dogma hoc Pròtagoræ Socrates apud Platonem acerbè insectatur: perinde esse ait, statuere, hominem mensuram uel modum rerum esse, ac si eandem uim, porco tribuas aut asino.

Καὶ τὰ μὲν ὑποπίπτοντα.

Hoc est, ea quæ uideri, audiri, tangi, olfactu & gustatu percipi possint, tantum esse

esse res. Quæ autem ratione animíque contemplatione indagentur, ea omnia esse commenticia & fabulosa: quæ & Epicuri fuit sententia. Sicut igitur priore dogmate, hominem in Deum quendam transformauit: & id quidem ad eum modum, ut à sacris literis non admodum abhorreat. (Legimus enim Adamum, omnibus rebus à Deo conditis nomina imposuisse, quæ naturam illarum exprimerent) ita hoc loco, eundem hominem bestiam quandam facit, excluso omni rationis usu. Eodem hoc dogmate etiam Dÿ & dæmones tolluntur: & ex consequenti, omnes religiones. Nam quia Dÿ nullo sensu comprehenduntur: Protagora autore, nihil sunt: si nihil sunt: quare colerentur? Est igitur doctrina ista plena & stulticiæ & impietatis.

Κολακευόμενος,

Facetè humanam arrogantiam deridet. Omnes enim prauæ naturæ impulsu, se magnifieri cupiunt: atque adeò arrogantia hæc, lapsui & angelorum & hominum causam atque occasionem præbuisse perhibetur: cùm non contenti muneribus

diuinis, ipsam diuinitatem summa impietate, pariq́ stulticia & calamitate, affectarēt. Quò magis unusquisque de se modicè, ac potius intra modum, sentire debet: diuináque munera grato & summisso animo agnoscere: & ea quæ desiderat, uotis ardentibus bonaq́ cum spe & fiducia exposcere.

Καὶ ἡ γῆ ἐπὶ ὕδατος ὀχεῖται.

Comparauit Thales terram globo seu pilæ Oceano innatanti. Sed hanc opinionem Ptolemæus refutat: & mare terris infundi uariis locis, & Oceanum sic ambire terram tradit, ut in ea includatur. Quæ sententia uerisimilior est, & experientiæ nauigantium magis consentanea. Ordine quidem naturæ, hunc ordinem debere esse tradunt præcepta sphærica: ut terra prorsus obruta sit aquis: & aer aquam globo suo includat: hunc ignis: ignem Lunæ orbis: & sic de reliquis. Sed addunt, terram ex aquis eminere, prouidentia diuina, propter salutem animantiū, quæ in aquis degere nequeant.

Τὴν ἀΐδιον κίνησιν.

Significat, à motu cœlestium orbium, eoq́ æterno (in quo cum sacris literis non consentit: etsi & Aristoteles in eadem fuit sententia)

tia) inferiora hæc gubernari. Ac rectè ille quidem superiora inferioribus adiunxit, ut causam effectricem effectui. Sed altius ascendendum fuit, & motionis illius cœlestis autor, Deus, inquirendus. Sed idem fortaßis illi accidit, quod Simonidi Melico: qui non dißimulauit, se, quò diutius de Deo cogitaret: eò minus, quis aut qualis esset Deus, reperire. Nos autem patefactionem sacrarum literarum diuinam, de Dei & natura, & erga genus humanum uolũtate, gratißimis animis amplecti & admirari debemus.

Τὰ μὲν γεννᾶσθαι.

Scilicet progreßione cœlestium orbium ab oriente.

Τὰ δὲ φθείρεσθαι.

Scilicet progreßione ad occidentem. Hinc quidam opinati sunt, si ortus tantùm esset: omnia fore uitalia. Sed, quia etiam occasus sit: corpora aliàs oriri, aliàs occidere. Idq́ tradit Simplicius, fieri ad distinctionem uniuersitatis rerum. Summa enim illa, id est, cœlestia, esse æterna, semperq́ sui similia: infima uerò hæc & terrena, esse caduca, mortalia, minimè durabilia, uarijsq́ mutationibus obnoxia. Huiusmodi rationem etiam rerumpu-

bli-

blicarum esse, ad aliquam similitudinem cœlestium constitutam, nonnulli tradunt: ut ἀναλογίᾳ quadam ab agricolis ad ciues, à seruis ad ingenuos, hinc ad nobiles, inde ad principes & reges fiat progreßio: eáque κατ' ἀνάβασιν. Plato enim disputat, omnes reges (si prima origo repetatur) à bubulcis fortasse aut subulcis fuisse oriundos. Neque nunc esse ullum bubulcum aut subulcum, quin in tanta seculorum prolixitate, principes aut reges habuerit maiores. Hæc uerò iam est κατάβασις. Ea enim est conditio rerum humanarum, ut & amplißimæ familiæ, aut extinguantur penitus, aut uilescant: & infimæ sortis homines, ad summum fastigium dignitatis & potentiæ prouehantur.

Ἀρχὰς εἶναι θεὸν καὶ ὕλην καὶ παράδειγμα.

Deum, etiam materiæ autorem esse, non modò inter Theologos constat, sed & recta ratio conuincere uidetur: ne uel duo principia statuantur (id quod natura respuit) uel Deo, tanquam cœmentario, aut fabro tignario, imbecillitas atque inopia quædam tribuatur (id quod dictu nefas est) ut sine

mate-

materia nihil potuerit efficere. In quo Epicureæ opinionis defensor in libris de natura Deorum, perquam ridiculus est, ne ineptissimum scurram dicam: ut qui quærat, Deo condenti mundum, quis malleos, quis uectes, quis ligna, quis reliquam materiam suppeditauerit? παράδειγμα *autem idem hic ualet, quod idea Platoni,* & τὰ εἴδη *Aristoteli: de quibus sunt perplexæ philosophorum disputationes: quas Porphyrius in Isagoge sua paucis attingit, cum dicit, dubitari,* πότερον ὑφεστηκότα ἐστίν, ἢ μόνον ἐν ψιλαῖς ἐπινοίαις κεῖται.

Τὸ τοῦ Διὸς ἅρμα.

Extat hoc commentum in Phædro Platonis, siue de pulchro: quo docere uoluit præclara ingenia ad aliquam Dei similitudinem contendere: diuinæque gubernationi obedientia se præbere, & sequi Deum: id quod ueteri illo dicto: ἕπου τῷ θεῷ, *præceptũ fuit.*

Ζηλοτυπῶν τῆς ἁρματοποιΐας.

Scommata hæc sunt, sicut & cætera pleraque quibus innuit, æmulationem esse inter discipulum & magistrum. Et quidem posteriores philosophi plerique, aut ambitiõe qua-

quadam, ut noui autores haberentur: aut curiositate, dogmata ueterum corruperūt potius, quàm correxerunt. Atq; adeò ipse Plato, cum in senectute, destituente memoria (ut scribit Aelianus) minore in admiratione esset: & Aristoteles eam emergendi occasionem auidè arripuisset: conquestus est: ὅτι τὸ μειράκιον ἀπελάκτισε καθ' ἡμῶν, καθάπερ τὰ πωλάρια κατὰ τῶν μητέρων. *Sed Plato delectatus est sublimi & penè poetico dicendi genere. Aristoteles autem, proprietatem & breuitatem magis amauit: neque quicquam probare uoluit nisi quod firmis rationibus demonstraretur. Et tamen idem Plato Aristotelem, &* ἀναγνώστην *&* νοῦν *appellauit, & frenis egere dixit propter ingenij celeritatem. Aristoteles autem fertur Platoni aram extruxisse, cum hac inscriptione: quam quidem Græcè me legisse non recordor.*

Nulla ferent talem secla futura uirum.

Τὸν αἰθέρα.

Non loquitur hic de prima causa rerum omnium: quam utique & ipse Deū statuit: sed de propioribus.

Ἀρχὰς εἶναι λέγων ζῶα.

Cum per Iouem intelligat Deum, quem He-

Hebræi Iehouam, qui Latinius loqui uolũt, Iouam appellant, nihil absurdi docet. Sed TEMPVS *&* TELLVREM, *tãquã collegas, Deo adiũgere: nihil est necesse: cũ ipse sit* αὐτάρκης, *& unus autor rerum omnium.*

ὁ δὲ χρόνος.

Mirum est (quando uno Deo autore contentus esse noluit) eum non adiunxisse καὶ τὸν τόπον, *id est, locũ, qui sedem præbet rebus omnibus. Neq; enim in hac natura inferiore, quicquam concipere animis possumus, absq; temporis & loci adiunctione.*

Τὰ ἄπειρα καὶ ἀκίνητα καὶ ἐλάχιστα.

Intelligenda sunt αἱ ἄτομοι γραμμαὶ, μᾶλλον δὲ στιγμαὶ. *Leucippus, Democritus, et hos secutus Epicurus (quem Cicero in physicis planè alienum esse dicit, quòd aliorum decretis usus sit, nihil ipse protulerit noui) atomos, id est, minutissima quædam corpuscula, omnium rerum principia esse statuerunt. Quâ de re in explicatione primæ Tusculanæ cum egerimus: non est operæprecium* δὶς τὴν κράμβην.

Καὶ τὰ μὲν λεπτομερῆ.

Hanc distinctionem elementorum Ouidius initio primi Metam. elegantibus uersibus describit. Sed ut Moses Deum ex nihilo cælũ

& terram condidisse docet, autor Leucippo longè melior: sic Ouidius chaos à Deo distinctum esse tradit hoc uersu:

Hāc Deus et melior litē natura diremit, &c.

Τὸ ὂν καὶ τὸ μὴ ὄν.

Ea quæ sunt, à Deo facta esse constat. Ea uerò quæ non sunt, id est, nihil, uix comprehendi humana intelligentia possunt: sicut prouerbio Græco dicitur.

Μηδὲν λαβόντες, ἐκρατήσαμεν μηδέν.

Est enim in hac re humanæ mentis eadē penè ratio, quæ manuum. Nam hæ non nihil, sed aliquid apprehendunt: &, ut nihil aliud, aerē certè. Qui cū sub aspectū oculorū non cadat: à uulgo nihil esse putatur: quāuis absq; eo nullum terrestre animal, ultra horæ quadrantem uiuere posse credatur.

Τὸ δὲ πλῆρες ἐν τῷ κενῷ.

Philosophi ueteres delectati sunt figuris mirabilibus, ac potius ænigmatibus quibusdam: siue ut noui autores haberentur: siue ut rude atque ignauum uulgus à mysteriis philosophiæ arcerent. Ac in eo genere ita sibi indulserunt, ut sæpè nec acuti nec studiosi homines, quid sibi uoluerint, poßint deprehendere. Cuius obscuritatis expeditißimum illud est remedium, quod in symbolis Pythagoricis

goricis explicandis tradit Erasmus: stulticiæ esse, de eo intelligẽdo magnopè laborare, q̃ de ĩdustria id egerit, ut ne intelligeretur. Et hæc res eò se melius habet, qđ, ut Martialis ait:
Non de ui neq; cæde nec ueneno:
Sed lis est mihi de tribus capellis.

Nam taliũ ænigmatũ ignoratio neq; uirtuti neq; sapiẽtiæ hominis eruditi q̃cquã detrahit: & q acutissimè illa explicare sibi uidẽtur: haud uidẽtur sponsionẽ facere, aut sacramẽto cõtẽdere posse, autoris sentẽtiã se esse (assecutos.

Ἐν τῷ κενῷ.

Aristoteles probat nihil in rerum natura esse uacuum aut inane: quod aer ea loca occupet, quæ ab aliis corporibus occupata (nõ sint.

Τροπῇ ἢ ῥυσμῷ.

De mutatione & fluxa elementorum natura hæc sine incommodo possunt intelligi: qua de re & suprà actum est: & egregia extat Rodolphi Agricolæ de materia prima disputatio.

Συὼ αὐτῷ γελᾶν.

Satis notum est, & Democritum Abderiten derisisse stulticiam, & Heraclitum Ephesium deplorasse miseriam humani generis. Sunt aũt et stulticiæ & miseriarũ, in hac terrena uita, adeò plena omnia: ut in Epigram

mate quodam Græco, non absq; iniuria dubitetur, sit'ne potiùs cum Heraclito flẽdum? an cum Democrito ridẽdum? Vtriusq; enim rei causas esse plurimas atq; uberes.

Ἡ μὲν πιῦσα, ἡ δὲ πάσχουσα.

Ex his uerbis non satis percipi potest utrũ raritas agat atq; coniungat? Nam ut apud Latinos, cum dico alter uerberauit alter uapulauit: incertum est, uter uerberauerit aut uapulauerit: ita & particulæ ὁ μὲν & ὁ δὲ &c. sæpè ambiguæ sunt, utrum ad propius, an ad remotius uocabulum referantur? nisi res ipsa perspicua sit. Probabilius tamen est, densitatis esse actionem & coniunctionem: raritatis uerò dißipationem & paßionem.

Ἐπίκουρος.

Cuius physiologia fuit Leucippi & Democriti, doctrina item de finibus bonorum, quæ uoluptatem summum bonum statuit, est Aristippi, & eorum, qui à patria illius, Cyrenaici appellantur. Itaq; hic & in physicis & Ethicis totus est alienus: neq; quicquam habet suum: nisi quod fortè τὰ κοινὰ καινῶς tractauit: Et (ut Horatius ait) dogmata ueterum furtiua mutauit strigili. Artem autem dicẽdi & disserendi planè contempsit ut inanem & superuacaneam. Et ea tamẽ fuit

arro-

arrogantia, uel potius impudētia, ut ſe nullo uſum eſſe magiſtro iactarit.

Ἀνιμῶ τὰς ἀληθεῖς ἀρχάς.

Facetè & ſalsè exagitat Cleanthem: qui κατὰ παρωνομασίαν Φρεάντλης appellatus fuit: quaſi ſuam ſapientiam non è ſchola Zenonis, ſed ex hortorum puteis hauſiſſet: quos noctu, ſtipis emerendæ cauſa, rigabat: ut eſſet, unde interdiu & uictitaret, & philoſopharetur. No[redacted]ſtudētes, tantū ab amore ſtudiorū & industria Cleāth[redacted]ſunt, ut pleriq; etiā ſacræ theologiæ deſtinati, ea quæ liberalitate piorum hominū eis ſuppeditan-[redacted]abſumant: [redacted]

To[redacted]

Puto inuerſa eſſe uerba & ſic legendum hūc locum: τὸν δ' ἀέρα εἰς τὰ περίγεια χωρεῖν, τὸ δὲ πῦρ ἄνω φέρεσθαι. *Hic enim ordo conſenſu doctorū traditur: tellus, aqua, aer, ignis, Luna, Mercurius, Venus, Sol, Mars, Iupiter, Saturnus, & cœlum ſtellatum, quod firmamentum appellant. His recentiores aliqui plures cœlos addunt: ſphæram nonam, quam primum mobile appellant, & decimam, in*

qua sit motus trepidationis, & cœlũ Crystallinum, siue aqueum: siue commoti dicto illo haud scio an rectè intellecto: A QVAE QVAE SVPRA COELOS SVNT *(nam nubes & pluuias uiri docti per ea uerba intelligunt) siue metuentes ne mundus, propter tot & tam immensas stellas, quæ ignea naturæ sint, conflagret incendio. Quã sententiam etiam D. Basilius in libro de opificio sex dierum, probat. Denique addunt* ὀυρανὸν ἔμπυρον, *quem* [redacted] *cælum Empyraeum* [redacted] *dicunt: in quo habitet Deus cũ sanctis geniis. Sed & ea quæ Mathematici tradunt, adhuc controuersa sunt, nec satis explorata:* [redacted] *Itaque licet hic more Academico* ἐπέχειν καὶ διασκέπτεσθαι.

Τὴν ψυχήν.

Anima mundi, quam propaginem quandam Iouis esse commenti sunt, intelligenda est: de qua hi Virgilij uersus teneantur:

Deum nanq; ire per omnes
Terrasq; tractusq; maris, cælumq; pfundũ.
Hinc pecudes, armẽta, uiros, genꝰ one ferarũ.

Quemq;

Queq́; sibi tenues nascentem arcessere uitas:
Scilicet huc reddi deinde, ac resoluta referri
Omnia: nec morti esse locum: sed uiua uolare
Sideris in numerū, atq; alto succedere cœlo.

Sed hæc opinio, quis & Simplicio, grauissimo philosopho, nō im pbetur: affirmāti, dissoluto per mortē, animāte oīa redire ἐπὶ τὰς ἰδίας ὁλότητας, *id est, ad sua integra (sic aūt appellat elementa) tamē cùm autoritate sacrarū literarū euidente nō nitatur: missa facienda est: quāuis acutissimis & eruditissimis philosophis ista* μετεμψύχωσις *mirum in modum allubescat.*

Ἀκατάληπτα εἶναι τὰ πάντα.

Veteres Academici & Peripatetici, Varrone & Cicerone autoribus, eadem ferè tradiderunt. Noui autem Academici, quorū autor perhibetur Arcesilaus, cuius sectator celeberrimus fuit Carneades, tanta uir eloquentia, dicendiq́; ui preditus, ut quiduis hominib. persuadere posse uideretur, negarūt quicquā posse certò percipi: sed institutis & legibus & opinionibus omnia teneri. Hac de re extant duo libri Academicarū quæstionum Ciceronis, altero etiam mutilato, cùm quatuor scripsisset initiò, eosdemq́; postea in duos conflasset: & Sexti Empirici magnum

num uolumen, quod inſcribitur contra Mathematicos: & tres libri Pyrrhoniarũ ὑποθέσεων. Voluerunt ſcilicet hi coarguere temeritatẽ eorũ, qui quiduis temerè affirmarẽt, ſibiq́ penè oĩa cõperta eſſe contenderẽt: quẽadmodum de Heraclito memoratur, profeſſum eſſe initiò, ſe ignorare omnia: pòſt uerò, omnia ſibi eſſe comperta, affirmaſſe. Sed his id euenit, quod ſcribit Horatius:

Dum uitant ſtulti uitia in cõtraria currũt.
Incidit in Scyllã cupiens uitare Charybdim.

Πυθαγόρας.

De hoc antea nonnihil dictum eſt: & obſcuritas Platonicorum numerorum (qui tamen Pythagoræ potius ſunt) in prouerbium abijt. Quare nos miſſa faciamus ea, quæ utrum ipſi autores intellexerint, an arroganter iactarint, etiam atq; etiam dubito. Inuenias enim homines oſtentatores, qui mirabilia quædam profiteantur, eaq́ & inania & ἀδύνατα, quò plus alijs ſapere uideantur, & acumine ingenij arcanáque doctrina omnibus antecellere. Me quidem iſta nec intelligere nec intelligendi ſpem ullam habere, fateri non pudet, ac doctioribus explicanda relinquere.

Te-

Τριγώνων ἄχθοι.

Numeri hi corrupti sunt:& ,ut integri essent, à paucis tamen intelligerentur.

Εἰς δὲ τὸν αἰθέρα αὐτὸν.

Egregia exagitatio est curiositatis & arrogantiæ humanæ, quæ suæ pusillitatis & imbecillitatis immemor, ea comprehendere moliatur, quæ captum naturæ mortalis infinitè excedant: & ijs tamen de rebus ita laboret, quasi sine ijs cognitis, nemo saluus atq; incolumis esse possit. Huc ptinet distichō Catonis: Mitte arcana Dei, cœlūq; inquirere quid sit? Cum sis mortalis: quæ sunt mortalia, cura.

Οἴχεται ἡ τοῦ Διὸς ἀρχή.

Prouerbialis hyperbole, de maximo periculo, ἱερωνικῶς potissimùm usurpanda, cuiusmodi & illud est, metuere ne cœlum ruat.

Καὶ φαγὼν ἐλαίας καὶ σῦκα.

Allusio est ad ἀποχὴν τῶν ἐμψύχων *Pythagoricam. Victitarunt enim Pythagorei herbis, frugibus & fructibus, rebusq; cæteris è terra nascentibus. Idq; fortasse non tantùm superstitione quadam (de qua alibi diximus) q̃ studio sobrietatis, quæ hominibus studiosis summoperè necessaria est. Nam Baccho &*

 Veneri,

Veneri, inguini & gulæ, cũ sapientia minimè conuenit. Rectè igitur Hermolaus Barbarus: Venter, pluma, Venus, laudem fugienda sequenti.

Καὶ τῶν ἀστέρων τὸν ἀριθμόν.

Hanc cognitionem negatam esse homini, Deus ipse Abrahamo significat. Eudoxus tamen Cnidius hoc iactasse fertur. Nostrates autem Astrologi, stellas mille plures uix sibi notas esse profiteri audent. Vnde Picus Astrologiam imperfectam esse disputat, quòd plurimæ stellæ, fortaßis æquè potentes & efficaces, atq; eæ quæ in Zodiaco & extra Zodiacũ sint, ignorentur. Quæ reprehensio non planè contemnenda esse uidetur, propter crebras hallucinationes Astrologorum, cùm in tempestatibus, tum in aliis euentibus prædicẽdis.

Καὶ τῶν ἰχθύων.

Hyperbolicum hoc est & sycophanticum. Nemo enim unquam, opinor, ea fuit impudentia, ut uel unius speciei indiuidua omnia nota sibi esse diceret. Cum species etiam nonnullæ cognitionem humanam excedant. Plato certè quidem, cum à summis generibus ad infimas species facta fuerit progreßio, acquiescendum esse, nec ulterius esse contendendum, monet.

Ζυγῶ

Ζυγῷ ἰςάς.

Fortaßis ἐπὶ ζυγῷ, *dicitur & una uoce* ζυγοςατεῖν, *libræ imponere, trutinare, ponderare.*

Εἰς κόσμον κενόν.

Poteſt & hoc legi per ε. *Nam atomos per inane uolitare affirmauit. Sed* καινὸν *per* αι *rectius fortaſſe ſcribitur. Fabuloſum autem id eſſe puto, quod nonnulli ſcribunt: Alexandrum Magnũ, cum audiſſet, plures eſſe mundos, illachrimaſſe, quòd ipſe ne unum quidem adhuc ſubegiſſet. Iuuenalis.*

Vnus Pellæo iuueni non ſufficit orbis.

Aliter enim fuerat ab Ariſtotele edoctus. Neque probabile eſt, eum hoc delirium approbaſſe.

Ἤδη γάρ μοι σκότος.

[illegible] *quidem non tàm falsè quàm ue* [illegible]

Præcla[illegible] *ne-ceſſarias transferatur.*

Μάλιςα τῶν ὄντως ἀναγκαίων.

Εἰρωνικῶς *accipiendum hoc eſt. Significat enim, pleraſq; philoſophorum de obſcuritate*

naturæ

naturæ disputationes, nihil facere, nec ad tuendam rem familiarem, nec ad Remp. gubernandam. Quibus in rebus bene constitutis, posita sit humana felicitas. Non tamen iniucundum est, etiam talia per ocium legere & cõsiderare: sic tamen, ut parùm referre scias, etiamsi pleraq; nescias.

Ταῦτα μὲν τοίνυν διεξῆλθον.

Conclusio, quæ finem huius scripti ostendit. Nam deridere alios, & insectari sine iusta & graui causa, scurrarum, & balatronũ potius est, quàm aut philosophorũ, aut Theologorum. Scopus ergò huius libelli est, cum de ortu mundi cæterisq; naturalibus rebus nihil certi tradat philosophia: omissis uarijs & incertis opinionibus, in sacrarum literarum autoritate esse acquiescendum. [redacted] *Huius exemplum, alij quoque præclari uiri secuti, quæ ille breuius & rudius attigerat, copiosius & ornatius exposuerunt. Nec tamen desunt, partim morosi, partim impij homines, qui*

qui negent sacra profanis esse miscenda, & uel in Theologia philosophandum, uel in Philosophia Theologicis disputationibus utendum. Quamuis Philosophia sine Theologicis censuris (ut antea quoq; dictum est) nihil aliud sit, nisi inextricabilis quidam Labyrinthus, prodigiosarum & inter se pugnantium opinionum.

FINIS.

DESIDERII IACOTII VANDOPERANI DE PHILOSOPHORVM doctrina Libellus ex Cicerone.

CVM essent plures Philosophi, orti ferè à Socrate, (quòd ex illius uarijs & diuersis, & in omnem partem diffusis, disputationibus à Platone potissimũ immortalitati traditis, alius aliud apprehẽderat:) proseminatæ sunt quasi familiæ, dissentientes inter se, & multum disiunctæ & dispares: cum tamen omnes se Philosophos Socraticos & dici uellent, & esse arbitrarentur. Inter quos præcipuum locum tenent Academici, Peripatetici, Stoici, Epicurei. De quibus sigillatim, & distinctè dicere difficile est, ob eam præcipuè caussam, quòd cum eorum decreta quæruntur, uariari inter Ciceronis interpretes, & dubitari uidetur. Sed primum illud tenendum est, quod à uiris doctissimis est animaduersum, Ciceronem omnia prope ex Stoicorum & Academicorum nouorum disputationibus sumere, ex reliquis pauca quædam adspergere. Cuius rei fidem facere aiũt dialectica, quæ usurpat,

in

in quibus Platonicũ, aut Aristotelicum nihil prope agnoscas. Verum dicamus articulatè, quoad fieri poterit, de Peripateticis, & Academicis, tum de cæteris, quorũ à Cicerõe præcepta notata sunt, & quædã Latinè expressa.

Academici & Peripatetici.

Academici & Peripatetici ueteres rebus cõgruentes, ait Cicero, nominib. differebant. Nã cùm Speusippũ sororis filiũ, Plato philosophiæ quasi hæredẽ reliquisset, duos autem præstantißimos studio, atq; doctrina, Xenocratẽ Chalcedoniũ, & Aristotelẽ Stagiritem qui erant cum Aristotele, Peripatetici dicti sunt, quia disputabãt inambulãtes in Lyceo. Illi autẽ qui Platonis instituto in Academia, quod est alterũ gymnasiũ, cœtus erãt, & sermones habere soliti, ex loci uocabulo nomẽ habuerunt. Quibus tamen nec suæ ambulationes defuerũt. Nam in spatiorũ umbraculis arboribus opacorum, quæ à Cicerone curricula multipliciũ uariorumq; sermonũ appellãtur, plerię inambulantes de philosophia disputabant. Nihil igitur, ut dixi, inter Peripateticos, & illam ueterem Academiam differebat. (Abundantia quadam ingenij præstabat Aristoteles.) Sed idem fons erat utrisq;, & eadẽ rerum expetendarũ fugiendarũq; partitio.

De utrisq; multæ sunt illustres laudes, 4. & 5. de Finibus bonorum & malorum, quod eum locum, quem ciuilem rectè appellaturi uidemur, Græcè πολιτικὸν, grauiter & copiosè tractarint. Vnde etiam olim propter eximiam rerum maximarum scientiam à Græcis politici philosophi sunt appellati: quòd multa de Repub. scripserint, multa de legibus, multa non solum præcepta in artibus, sed etiam exempla in orationibus bene dicendi reliquerint. Primum enim illa ipsa, quæ subtiliter differenda erant, politè, apteq; dixerunt cum definientes, tum partiẽtes: deinde ea, quæ requirebant orationem ornatam & grauem, magnifice sunt dicta ab illis ac splendidè, de iustitia, de fortitudine, de amicitia, de ætate degẽda, de philosophia, de capessenda Repub. de temperantia, de fortitudine hominum. Itaq; ex hac tanquam ex omnium artium officina innumerabiles in omni genere scientiæ præstantes uiros prodijsse ait Cicero. Academici ueteres quidam fuerunt, quidam noui. In ueteribus numerantur à Cicerone: Plato, Aristoteles, Speusippus, Xenocrates, Polemo, Crantor. In nouis, Arcesilas, Lacydes, Euander, Egesinus, Carneades, Clitomachus philosophus. Quorũ omniũ decreta quia numerabimus

rabimus suo loco, de ueteribus, & nouis pauca hæc nunc sufficiat in uniuersum posuisse.

Omnem uirtutẽ esse mediocritatẽ. Bruto.

Sapientes non semper esse beatos. 5. Tusc.

Finem bonorum esse, secundùm naturam uiuere, id est, frui ijs rebus, quas primas homini Natura dedisset. 2. de Finib. & 3. Offic.

Omnem ciuilem orationem in horum alterutro genere uersari, aut definita cõtrouersia certis temporibus, ac reis, aut infinitè de uniuerso genere quærere. 3. de Orat.

Academici noui.

Academici noui cum nihil percipi posse dicerent, in suo ipsi decreto sicut in cæteris rebus fluctuabant, ac de dijs immortalibus errantem habebant & uagam sententiã. Hanc Academiam adolescentiorem Cicero & uolaticam appellat, & sui similem, modo huc, modo illuc, philosophiæ ueteris perturbatricem: quam exoratam cupit ut sileat, submouere nõ audet. Huius erat institutum aduersari omnibus in disputando, & contra communem opinionem ratione aliqua pugnare, nihil affirmare, inuadere in ea, quæ satis scitè cæteris philosophis instructa, & composita erant, & ruinas edere: deniq; quasi desperata cognitione certi, id sequi, quod uerisimile

uideretur. Solebat uerò is, qui audire uellet, cum quæsiuisset, tacere: tum alius perpetua oratione contra disputabat. Quam disputandi cõsuetudinem susceperũt Tusculanæ disputatiões, ut est in lib. De fato. Huius itaq; perpetuum decretum fuit, Nihil posse percipi. 2. Acad. & 1. de Nat. deor. Quod quibusdã adeo placuit, ut extremum bonorum & summum munus sapientis esse dicerent, obsistere uisis, assensusq; suos firmè sustinere.

Peripatetici.

Peripatetici cum uiderent nos ita esse natos, ut & cõmuniter ad eas uirtutes apti essemus, quæ notæ, illustresq; sunt, iustitiam dico, temperãtiam, cæterasq; generis eiusdem: quæ omnes similes artium reliquarum, materia tantum ad meliorem partem, & tractatiõe differũt, easq; ipsas uirtutes uiderẽt nos magnificentius appetere, & ardentius: habere etiam insitam quandam, uel potius innatam cupiditatem scientiæ: natosq; esse ad cõgregationem hominum, & ad societatem, communitatemq; generis humani, eaq; in maximis ingenijs maximè elucere: totam philosophiã tres in partes diuiserunt. Vna pars est natura: differendi, altera: uiuendi, tertia. Natura sic ab ijs inuestigata est, ut nulla pars cælo,

mari, terra (ut poëticè loquar) prætermissa sit. Quin etiam cum de rerum initÿs, omniq; mundo locuti essent: ut multa non modò probabili argumentatione, sed etiam necessaria Mathematicorum ratione cõcluderent: maximam materiã ex rebus per se inuestigatis ad rerũ occultarũ cognitionẽ attulerũt. Ad placãdos animos multa afferebãt, spinas partiendi & definiẽdi prætermittebãt. De his sic ait alio loco Cicero: Si omnia à philosophis essent petẽda, Peripateticorum institutis cõmodius fingeretur oratio. Quo magis tuũ, Brute, iudiciũ probo, qui eorũ, id est, ex uetere Academia philosophorũ sectam secutus es, quorũ in doctrina, atq; præceptis disserẽdi ratio cõiungitur cum suauitate dicẽdi, & copia. Quanq; ea ipsa Peripateticorũ Academicorumq; consuetudo in ratione dicẽdi talis est, ut nec perficere oratorem posśit ipsa per sese, nec sine ea orator esse perfectus. Horum sentẽtiæ & præcepta sunt huiusmodi:

Esse in mentibus hominũ tanquã oraculũ aliquod, ex quo futura præsentiant, si aut furore diuino incitatus animus, aut somno relaxatus solutè moueatur ac liberè. 2. de Diuin.

Quæ aũt cõiectura explicãtur, aut euentis animaduersa & notata sunt, ea genera diui-

nandi non naturalia, sed artificiosa, in quo haruspices, augures, coniectoresq́; numerantur, improbanda. 1. de Diuin.

Deos esse, & quatuor ex rebus omnia constare. 4. Tusc.

Plurimũ & longè lateq́; plurimũ tribuendum honestati, sed tamẽ & in corpore & extra esse quadã bona, quæ ex altera parte collocata minimi momẽti instar habeãt. 2. de Fin.

Tria bonorũ genera, maxima animi, secunda corporis, externa tertia. 5. Tusc. 3. de Fin.

Corporis commodis compleri beatam uitam. 3. de Finib.

Mediocritatem esse inter nimium & parum. 1. Offic.

Mediocritatem uel perturbationum, uel morborum animi non probandã: omne enim malum etiã mediocre magnum esse. 3. Tusc.

Perturbari animos necesse esse, sed adhibendum modum quendam, quem ultra progredi non oporteat. 4. Tusc.

Perturbationes nõ solũ naturales, sed etiã utiliter à natura datas. Vide 4. de Fin. & 1. Offic. de laudibus fortitudinis & iracundiæ.

Stoici.

Stoicorum disciplina (quos Cicero in Officijs, Tusc. de Leg. Paradoxis, de Nat. Deorum sequutus

ſequutus eſt, quorum deniq; in omnibus ferè libris plurimas ſententias Latinè expreßit) à Zenone profecta eſt. Zeno enim relicta ueteri Peripateticorum & Academicorum diſciplina, multa in philoſophia nouauit. Cui mox ſe Arceſilas oppoſuit. Alij etiam Stoicorum diſciplinã Academiæ ueteris correctionem exiſtimabant. Antiochus enim Stoicorũ & Academicorum, qui Stoica multa uſurpabant, ſectam conciliare uoluit, & utrorumq; decreta bona conturbauit. Et Cicero ait à Peripateticis & Academicis eos omnia tranſtuliſſe, nominibus alijs eaſdem res ſecutos. Et alio loco, una de re eſſe ſolùm diſſenſionẽ: quippe cum antiqui omnes, quod ſecundum naturam eſſet, quo iuuaremur in uita, bonum eſſe decreuerint, Zeno nihil, niſi quod honeſtũ eſſet, putauerit bonum. Alij nõ de terminis, ſed de tota poſſeßione contentionem eſſe aiunt. Qua de re uide in Antiocho. Doctißimi uiri fuerunt, & omnes ferè in diſſerendo prudentißimi: idq; arte faciebãt, tum definiendo, tũ partiendo articulatè, & diſtinctè, erantq; architecti pæne uerborum. Iudicandi uias diligenter perſecuti ſunt, inueniendi tamen artem totam reliquerunt. Subtile præterea, uel ſpinoſum potius diſſerendi genus ſequebãtur,

ut est lib. 3. de Fin. qui fere totus est in defendenda ea disciplina. Nam contortulis quibusdam, et minutis cõclusiunculis quasi punctis, quæ dumeta, & laqueos, & aculeos disputationũ Cicero nominat, omne argumentũ concludebãt hoc pacto: Quod est bonũ, omne laudabile est: Quod autẽ laudabile est, omne honestũ est: Bonũ igitur quod est, honestũ est. Et tamen maximè forti, & ut ita dicã, uirili ratione utebãtur atq; sententia. Cæterùm quia uim uirtutis mirificè tenebãt, prope absoluti, & perfecti, deniq; soli philosophi iudicati essent, nisi eorũ licẽtiæ Carneades restitisset. Et ut uerba mordicus tenentes, quæ sibi ex ore euelli nolebãt, horridiores erant in dicendo, sic moribus quoq; duriores euaserant. Ex omnibus philosophis plurima nominauerunt, studiosissimè exquirentes unde uerba essent ducta, & suo quamq; rem nomine appellantes. Quibusdã etiã nominibus utebãtur, quæ prima specie admirationem, re explicata risum mouerunt. Aegrotationes appellabant ἀῤῥωστήματα, de quibus disputant enucleatè. Bona quæ aliis dicebantur, eadẽ præcipua, uel producta dicebant, quibus beatam uitam compleri negant. Item media officia, quæ communia sunt, & latè patent, quæ & ingenij boni-

tate multi assequuntur, et progreßione dicen di: rectum uerò quod appellant, perfectũ atq; absolutũ esse, & omnes numeros habere, nec præter sapientem cadere in quenquam posse. ὁμολογίαν quoq; conuenientiam dicebant, & ἡδονὴν communi nomine corporis & animi uoluptatem. Cæterùm portenta et flagitia ab his, ut à poëtis dicuntur, multa cum superstitiosa solicitudine creduntur: multa etiã præclarè: ut ex eorum sentẽtijs & præceptis, quæ acutißimè defendebant, intelligi potest: hæc ferè sunt apud Ciceronem.

Deos esse, qui mundũ administrent, quiq; consulant rebus humanis, πρόνοιαν dicunt prouidentiam. 2. & 3. de Natura Deorum. & 4. de Finibus.

Mundum esse sapientem, habere mentẽ, quæ se & ipsam fabricata sit, & omnia moderetur, moueat, regat, &c. in Luc.

Fore ut ad extremum omnis mundus ignescat, cum humore cõsumto neq; terra ali poßit, neque remeet aër, cuius ortus aqua omni exhausta non esse poßit. 2. de Nat. deor.

Mundũ natura constare, & administrari, non ut gleba constat, aut fragmentum lapidis: aut aliquid huiusmodi, nulla cohærendi natura, sed ut arbor, ut animal, in quibus

nulla temeritas, sed ordo apparet, & artis quædam similitudo. 2. de Nat. deor.

Aërem interiectum inter mare & cœlũ Iunonis nomine consecrari, quæ est soror & coniux Iouis, quòd & similitudo est aëris, & cum eo summa coniunctio. 2. de Nat. deor.

Quatuor ex rebus oĩa constare. 4. de Fin.

Fato omnia fieri. de Fato. Fatalem autem illam necessitatem, quam εἱμαρμένην dicũt, esse, ut quidquid accidat, id ex æterna ueritate, caussarumq́ continuatione fluxerit. 5. Tuscul. 2. de Diuin. in Top.

Multa falsa esse, longeq́ aliter se habere ac sensibus uideantur. in Luc.

Sensus ipsos assensus esse: quos quoniam appetitio consequatur, actionem sequi: tolli aũt omnia, si uisa tollantur. in Luc.

Visa quædam mitti à Deo, uelut ea quæ in somnijs uideãtur, quæq́ oraculis, auspicijs, extis declarãtur. in Luc μαντεία dicitur diuinatio. 3. de Na. deor. 1. de Di. et 2. ubi refellitur.

Nõ singulis iecorũ fissis, aut auiũ cantibus interesse Deũ: sed ita à principio inchoatũ esse mundũ, ut certis rebus certa signa præcurreret, alia in extis, alia in auibus, alia in fulguribus, alia in ostentis, alia in stellis, alia in somniãtiũ uisis, alia ĩ furẽtiũ uocib. de Diui

Eos.

Eos anhelitus terræ, qui frigidi sunt, cum fluere cœperint, uentos esse, cum autem se in nubem induerint, eiusq́ tenuißimam quamq́ partem cœperint diuidere, atque disrumpere, idq́ crebrius facere, & uehementius, tum & fulgura & tonitrua existere, si autem nubium conflictu ardor expressus se emiserit, id esse fulmen. 2. de Diui.

Simul atque natum sit animal, ipsum sibi conciliari, & commendari ad se conseruandum, & ad suum statum, & ad ea quæ conseruantia sunt eius status diligenda: alienari autem ab interitu, iisq́ rebus, quæ interitum uidentur afferre. 3. de Finib.

Plerisque tamen in principiis naturalibus diligendi sui uoluptatem non esse ponendam. 3. de Finibus.

Diu mansuros animos, cum corpore excesserint, sed non semper, 1. Tusc.

Quæ in terris gignuntur, ad usum hominis omnia creari, homines autem hominum caussa esse generatos, ut ipsi inter se alij aliis prodesse possent. 1. Offic.

Sapientem gratia nunquam moueri, nunquam cuiusquam delicto ignoscere: neminem misericordem esse, nisi stultum, & leuem: Viri non esse, neq́ exorari, neq́ placari: Solos sapi-

entes esse, si distortißimi sint, formosos: si men dicißimi, diuites: si seruitutem seruiant, reges: eos autem qui sapientes non sint, fugitiuos, exules, hostes, insanos deniq. Omnia peccata esse paria. Omne delictum scelus esse nefariũ: nec minus delinquere eum qui gallum gallinaceũ, cùm opus nõ fuerit, quàm eũ qui patrẽ suffocauerit. Sapientem nihil opinari, nullius rei pœnitere, nulla in re falli, sententiam mutare nunquam. pro Murena. Sapientem omnia rectè facere. 4. Tusc. Sapientem sapienti etiam ignoto esse amicum. 1. de Nat. Deor. Amorem ipsum, esse conatum amicitiæ faciendæ ex pulchritudinis specie. 4. Tusc.

Bonum nihil, nisi honestũ, quo uirtus mista, nullam requirit uoluptatem, atq; ad bene uiuendum seipsa est contenta. 1. 2. 3. de Finib. 5. Tusc. 3. Offic.

Nullum esse pilum omnibus rebus talem, qualis sit pilus alius.

Voluptatem, sublationem animi sine ratione, opinantis se magno bono frui: nec lætitiam, nec gaudium in corpore. 2. de Finib.

Non optabiliorem, nec magis expetẽdam beatam uitam, si sit longa, quàm si breuis, 3. de Finibus.

Non crescere bonorũ finẽ. 3. & 5. de Finib.

Finem

Finem bonorũ in una uirtute. 4. de Finib. id est, secundũ naturam uiuere. 3. Offic. Quo tria significantur: unum eiusmodi, uiuere adhibentem scientiam earum rerum, quæ natura euenirent, ut Zeno: alterum, significari idem, officia omnia media, aut pleraq; seruantem uiuere. Tertium, omnibus, aut maximis rebus iis, quæ secundum naturam sint, fruentem uiuere. Vide 4. de Finib.

Si ad illam uitã, quæ cũ uirtute degatur, ampulla, aut strigilis accedat, sumturũ sapiẽtem eam uitã potius, quòd hæc adiecta sint: nec beatiorem tamen fore. 4. de Finib.

Dolorem non esse malum. 2. Tusc. abesse à sapiente ægritudinem. 3. Tusc.

Voluntatem (quæ Græcè βέλησις dicitur, id est, appetitio eius quod bonum uideatur, ad quod adipiscẽdum impellit ipsa natura) esse, quæ quid cum ratione desiderat. 3. Tusc. Vide initium. 4. Tusc.

Et quæ turpia re non sunt, nec uerbis esse flagitiosa. 1. Offic.

Modestiã scientiã esse rerum earum, quæ aguntur, aut dicuntur suo loco collocandarum. Ordinem uerò, compositionem rerum aptis & accommodatis locis. 3 Offic.

Vrbanitatẽ esse uirtutem. 3. Epist. Famil.

Orantes

Omnes esse diuites, qui cœlo, & terra frui possunt. 7. lib. Epist. Famil.

Nihil esse sapientis præstare, nisi culpam. 9 lib. Epist. Famil.

Nihil esse obscenum, nihil turpe dictu: Nam si quod sit in obscenitate flagitium, id aut in re esse, aut in uerbo; nihil esse tertium. 9. lib. Epist. Famil.

Crepitus æquè liberos ac ructus esse oportere. lib. 9. Epist. Famil.

Fugere non esse sapientis. 15. Epistolarum ad Brutum.

Sapientem non irasci. 3. de Orat.

Eloquentiam uirtutem ac sapientiam esse. 3. de Orat.

Epicurei.

Epicurus (à quo Epicurei, à doctissimis quibusque contempti, nominati sunt) homo fuit mollis, & uoluptarius, quasi pueri delicati, nihil cessatione melius existimans, sine arte, sine literis, insultans in omnes, sine acumine ullo, sine auctoritate, sine lepore, cautus, secum pugnans, non tam facetus quàm ad iocandum liber. Pamphilum quendam Platonis ait à se Sami auditum. ibi enim adolescens habitabat cum patre et fratribus, quòd in eam insulam pater eius Neocles agripeta uene-

uenerat. Sed cum agellus eum non satis aleret, ludimagister fuit. Nihil olet ex Academia, nihil ex Lyceo, nihil ne è puerilibus quidem disciplinis. In Physicis Democritum, in quem tamen fuit ingratus, secutus est. Cui adiecit perpauca mutans, sed ita, ut ea quæ corrigere uult, deprauare uideatur. Pleraq; dicit eadem, atomos, inane, imagines, infinitatem locorum, innumerabilitatem mundorum, eorum ortus & interitus omnia fere, q; bus naturæ ratio continetur. Habuit & Nausiphanem magistrum, quod non negat, omnibus tamen cōtumeliis uexat, metuens ne qd unquam ab aliis didicisse uideatur. Nam & Aristoteli, & Phædoni Socratico turpissimè maledixit, & Metrodori sodalis sui fratrem Timocratem, quia nescio quid in philosophia dissentiebat, totis uoluminibus conscidit, & sæpe in scriptis gloriatus est, se magistrum habuisse nullum. Sua quædam nomina habuit: ut, πρόληψιν Græcè appellauit (quam antea nemo eo uerbo nominarat) ante cœptam animo rei quandam informationem, sine qua nec intelligi quidquam, nec quæri, nec disputari possit. Eius selectæ breuesq; sentētiæ nominatæ sunt κυρίαι δόξαι, id est, maximè ratæ, quia grauissimæ sint

ad beate uiuendum. Eius est & Titillationis uerbum, qua uoluptas sensibus adhibetur. Et cum tertium quendam motum diceret extra pondus, & plagam, cùm declinat atomus interuallo minimo, id appellat ἐλάχιστον. Ἰσονομίαν *quoque, id est, æquabilem tributionem, dixit eam naturam, quæ est in summa illa ui infinitatis, ut omnia omnibus, paribus paria respondeant. Scripsit libros de regula & iudicio, de summo bono, de uoluptate, qui (ait Cicero 2. de Diuin.) si corrosus esset, putarem annonam in macello cariorem fore. Item de sanctitate, de pietate aduersus Deos. Duos & septuaginta annos uixisse tradunt. Quem familiares, præter quos non fere in cuiusquam manus ueniebat, tanti fecerunt, ut eius imaginem non modò in tabulis, sed etiam in poculis, & annulis haberent, assererētq; uidisse uerum, maximisq; erroribus animos hominum liberauisse, & oīa tradidisse, quæ pertinerent ad bene beateq; uiuendum: sed plerosque minus eo delectari, quòd ista Platonis, Aristotelis, Theophrasti orationis ornamenta neglexerit. Physicis totus fuit alienus. Dialecticam uerò, quod in ea planè inermis esset, et nudus, contemnebat, & irridebat. Tollebat*

defi-

definitiones, nihil de diuidendo ac partiēdo docebat: non, quo modo efficiatur, concludaturq́; ratio, tradebat: non qua uia captiosa soluantur, ambigua distinguantur, ostendebat. Si enim, inquit, alterutrum concessero, aut uicturum cras Epicurum, aut non, necessarium esse necesse erit cras Epicurum aut uiuere aut non uiuere. Nulla autem est in natura rerum talis necessitas. In ea Philosophiae parte, qua mores conformari putantur, ceteris uoluit uideri acutior. Cuius sententiae & praecepta sunt huiusmodi.

Deos esse, q̃d necesse sit praestantē aliquā esse naturam. 2. de Nat. Deor. quodq́; in omnium animis eorum notionem impressisset ipsa natura. Anticipationem quandam uocauit deorum, sine doctrina. Non nullis tamen uisum est, eum, ne in offensionem Athenien sium caderet, uerbis reliquisse deos, re sustulisse, 1. & 3. de Nat. Deor.

Nihil curare deos, nec sui, nec alieni, sed monogrammos & nihil agentes mēbris humanis praeditos, sed eorum nullum usum habere. In quo circuitione quadam deos uidetur tollere ludens. 2. de Nat. Deor.

Deorum, quos perlucidos & perflatiles induxit, sedem esse, tanquā inter duos ludos,

sic

ſic inter duos mundos propter metum ruinarum. 2. de Diuin.

In Deo opem nullam, neq; gratiam. 1. de Nat. Deor. ubi refellitur.

Deum animantem eſſe, ſpecie hominis, quã ſit pulcherrima omnium, nec tamen eã eſſe corpus, ſed quaſi corpus, nec habere ſanguinem, ſed quaſi ſanguinem. Fugiebat enim indiuiduorum corporum concretionem, ne interitus & diſsipatio conſequeretur. 3. De Nat. Deor.

Deos beatos eſſe, & æternos. 2. de Finibus.

Deorum opera mundum non eſſe fabricatum: ſed ex atomorum, id eſt, indiuiduorũ, & ſolidorũ corporum, quæ ſuo deorſum pondere ad lineam ferrentur (qui eſt naturalis omnium corporum motus) complexionibus, & copulationibus, & adhæſionibus inter ſe, mundum, omneſq; partes mundi, quæq; in eo eſſent, effici. 1. de Finib.

Solem quaſi pedalem, aut bipedalem, poſſe etiam minorem eſſe quàm uideatur, aut maiorem, ſed non multo, uel tantũ eſſe, quantus uideatur: ut oculi aut nihil, aut non multum mentiantur. 2. Acad. & 1. de Finib.

Nunquam ſenſus mẽtiri, ſed omnes ueros eſſe, in iiſq; iudicia rerum poſita. Quorum ſi unus

unus semel in uita mentitus sit, sublatum esse omne iudicium ueri & falsi. 1. de Finib.

Nullam in natura rerum necessitatem.

Opinionem à perspicuitate seiungendam, quæ ueri conturbat cognitionem. 2. Acad.

Quidquid aut sit, aut fiat, naturalibus fieri aut factum esse ponderibus & motibus. 1. de Finibus.

Pecudis & hominis idem bonum. 1. Acad.

Ad uoluptatẽ et dolorẽ, et quæ fugiamus, & quæ sequamur, referri omnia. 1. de Finib. & 2. oẽs animi & uoluptates & dolores ad corporis uoluptates & dolores pertinere.

Vltimum bonorum in uoluptate, idq́; sensibus iudicari, & commoueri, ut ne argumentandum quidem de eo sit. 1. 2. & 3. de Finib. Voluptatis autem uerbo significari saporem, & corporum complexum, & ludos, atque cantus, & formas eas, quibus oculi iucundi moueantur. 3. Tusc.

Summum malum dolorem. 1. de Finibus & 2. Tusc.

Inter uoluptatem & dolorem nihil medium. Nam omni dolore carere, non modo uoluptatem esse, uerumetiam summam uoluptatem: eam enim augeri, amplificariq́; non posse. 1. de Finib. & 3. Tusc.

Non minorem percipi uoluptatem ex contemptißimis eſcis & potionibus, quàm rebus exquiſitißimis ad epulandum. 1. de Finib.

Cupiditatum tria genera, unum earum quæ eſſent & naturales, & neceſſariæ: alterum, quæ naturales eſſent, nec tamen neceſſariæ: tertium, quæ nec naturales, nec neceſſariæ: quarum (utpote inanium) nec modus ullus, nec finis inueniri poteſt. 1. de Fin. ubi reprehenditur, quòd partem in genere numeret. Duo enim genera eſſe, naturales, & inanes: naturalium item duo, neceſſarias, & nō neceſſarias.

Non poſſe iucunde uiui, niſi ſapienter, honeſte, iuſteq́ uiuatur: nec ſapienter, honeſte, iuſte, niſi iucunde. 1. & 2. de Fin.

Rem definiri non placere. 2. de Fin.

Sapientem ſemper eſſe beatum, finitas habere cupiditates, negligere mortem. 3. de Fin.

Honeſtum expeti propter uoluptatem: qui negant, eos inani uoce ſonare: uel, ut eſt in Tuſcul. 3. uoces inanes fundere. ſic enim loquebatur.

Parere animum rationi poſſe, & quò illa ducat, ſequi. 3, Tuſc.

Leuationem ægritudinis in duabus rebus poſitam eſſe, auocatione à cogitanda moleſtia,

stia, & reuocatione ad uoluptates contemplandas.3. Tusc.

Opinionẽ mali ægritudinẽ esse natura, siue illud ante prouisum & expectatum sit, siue inueterauerit: neq; enim uetustate minui mala, nec fieri præmeditata leuiora. 3. Tusc.

Naturales diuitias parabiles esse, quòd paruo esset natura contenta.3. de Fin.

Diuturnitatem temporis ad beate uiuendum nihil afferre, nec minorem uoluptatem percipi in breuitate temporis, quàm si illa sit sempiterna.2. de Fin.

Nullam in sapientem uim esse fortunæ.3. Tusc.& 2. de Finib.

Magnum dolorem breuem, longinquum leuem.2. de Fin.& 2. Tusc.

Nec gaudere quemquam, nisi propter corpus, nec dolere. 2. de Fin.

Mortem nihil ad nos pertinere, quòd sine sensu sit, id quod dissoluitur.2. de Fin.

Si uratur sapiens, si crucietur, in Phalaridis tauro si erit, dicturum: quàm suaue est hoc? quàm hoc non curo?

Zeno.

Zeno Cittiæus ex Cypro insula, Stoicorũ princeps & pater fuit, homo acutus, uerecundiam & libertatẽ loquendi amans. Is cũ Po-

lemonem aßiduè audiſſet, ualdeq́; ſubtiliter diſſereret,& peracutè moueretur, Peripateticorum ſatis copiosè & eleganter conſtitutam diſciplinam corrigere conatus eſt. Partitionem philoſophiæ in tres partes retinuit. In ceteris ſentiebat idem, aliter loquebatur, nihilq́; præter nouitatem uerborum differebat. Cui tamen cur hoc faceret, nullam cauſam fuiſſe, ait Cic. 4. de Finib. ubi de eo multa dicuntur. Si enim ea quæ dicit ita ſentiret, inquit, ut uerba ſignificant, nihil inter eum, uel Pirrhonem, uel Ariſtonem præceptorem intereſſet: ſin autem eos non probabat, quid attinuit cum iis, quibuſcum re conueniebat, uerbis diſcrepare? Breuibus,& acutis conclu ſionibus, quod uellet efficiebat, ſimilitudine ſæpe utens,& uiſum, aſſenſum, cõprehenſionem,& ſcientiam geſtu & ſimilitudine manuum diſtinguebat. Nam cum extenſis digitis aduerſam manum oſtenderat, uiſum, inquiebat, huiuſmodi eſt: deinde cum paulum digitos conſtrinxerat, aſſenſus huiuſmodi :tum cum plane compreſſerat, pugnumq́; fecerat, comprehenſionem illam eſſe dicebat. Qua ex ſimilitudine etiam nomen ei rei, quod ante non fuerat, κατάληψιν impoſuit. Cùm aũt læuam manum admouerat,& illa

pugnum

pugnum arcte uehementerq́; compresserat, scientiam talem esse dicebat: cuius compotem, nisi sapientem, esse neminem. Cum eo Academiæ nouæ magna rixa fuit. Magnam præterea molestiam primus suscepit, & minime, ut ait Cicero, necessariam, commenticiarum fabularum reddere rationem, uocabulorum, cur quidq; ita appellatum sit, caussas explicare. Itaque cum Hesiodi Theogoniam interpretatur, tollit omnino usitatas, perceptasq́; cognitiones deorum. Denique neque Iouem, neque Iunonem, neque Vestam, neque quenquam, qui ita appelletur, in deorum habendum numero, sed rebus inanimatis, atque mutis, per quandam significationem hæc docet tributa nomina. 1. de Natur. Deorum.

Aethera summum Deum, mente praditum, qua omnia regantur. In Luc. 1. de Natur. Deorum.

Quatuor solum initia rerum: quintam Arist. naturam non adhibendam. 1. Academic. 4. de Fin.

Animum ignem. 1. Tusc.

Ignem esse ipsam naturam, quæ quidque gigneret, & mentem, atque sensus. Ignem autem artificiosum, ad gignendum progre-

dientem uia. 2. de Nat. Deor.

Deum esse mundum, eumq́; animantem, & ratione præditum: nihil enim posse effici ab eo, quod expers esset corporis. 1. Acad.

Sensus iunctos esse è quadam quasi impulsione oblata extrinsecus, quam nos uisum appellemus licet. 1. Acad.

Quæ uisa sunt, & quasi accepta sensib. assensionem adiungit animorum, quã esse uult in nobis positam & uoluntariam. 1, Acad.

Visis non omnibus adiungendam fidem: sed his solum, quæ propriam quandam haberent declarationem earum rerum quæ uiderentur. Id autem uisum, cùm ipsum cerneretur comprehensibile: Sed cùm acceptum iam, & approbatum esset, comprehensionem appellari, similem his rebus quæ manu prenderentur. 1. Acad.

Quod erat sensu comprehensum, idipsum sensum appellari, & si ita erat comprehensum, ut conuelli ratione non posset, scientiam: sin aliter, inscientiam: ex qua existeret opinio, quæ esset imbecilla, & cum falso, incognitoq́; communis. Sed inter scientiam & inscientiam, comprehensionem collocari: eamq́; neq; in rectis, neq; in prauis numerari, sed soli credendum esse. 1. Acad.

Sensi-

Sensibus fidem tribuendam, quòd comprehensio facta sensibus, & uera esset, & fidelis. 1. Acad.

Naturam quasi normam scientiæ, & principium sui dedisse, unde postea notiones rerũ in animis imprimerẽtur, è quibus non principia solum, sed latiores quædam ad rationẽ inueniendam uiæ reperiuntur. 1. Acad.

Errorem, & temeritatem, & ignorantiam, & opinationem, & suspicionem, à uirtute sapientiaq; remouendam. 1. Acad.

Naturalem legem diuinã esse, eamq; uim obtinere, recta imperantem, prohibentemq; contraria. 1. de Nat. Deor.

Rationem quandam per oẽm pertingentem naturam, ut diuinam, esse affectam putat. Astris hoc idẽ tribuit, tum annis, mensibus annorumq; mutationib. 1. de Nat. Deor.

Mundum animantem, ratione regi, sapientem, alioqui ex se non posse animantem, compotémque rationis procreare. 2. & 3. de Nat. Deorum.

Ipsius mundi, qui omnia complexu suo coẽrcet & continet, naturam non artificiosam solum, sed plane artificem dicit, cõsultricem, & prouidam utilitatum oportunitatũq; omnium. 2. de Nat. Deorum. contrahi animum

& quasi labi atque concidere, & ipsum esse dormire.2.de Diuin.

Omnem uim loquendi in duas diuisam partes: Rhetoricam palmæ, Dialecticam pugno similem.2. de Finib. & in Orat.

In una uirtute, quæ est ingenij præstantia, omnia quæ ad beatam uitam pertinent, posita. In Luc.4. de Finib.5. Tusc.

Cætera autem etsi nec bona nec mala essent, tamen alia secundum naturam, alia naturæ cõtraria, iis ipsis alia interiecta, & media Vide in Luc. sub finem, & 4. de Finib.

Esse uerum quoddam & simplex bonum, quod non posßit ab honestate seiungi. in Luc.

Sapientẽ, etiã si mẽdicus sit, nõ beatũ modo sed diuitẽ, semperq; beatisßimũ. 5. de Fin.

Nihil malum, nisi quod turpe et uitiosum sit.2. Tusc.

Virtutem non posse constare, si in cæteris rebus esset quidquã, quod aliud alio melius esset, aut peius.4. de Finib.

Dolorem asperum contra naturam, difficilem perpessu, tristem, durum.2. Tusc.

Perturbationem siue πάθος esse, auersam à recta ratione contra naturam animi commotionem, uel appetitum uehementiorẽ, q procul absit à naturæ constantia.4. Tusc.

Pytha-

Pythagoras.

Pythagoras Pherecydis discipulus fuit, præstanti sapientia & nobilitate, summa auctoritate, sine ulla hilaritate. Quietem atq; otium sequutus, à regendis ciuitatibus totum se ad cognitionem rerum transtulit. Cumq; ubi quid esset, quod disci posset, eò iudicaret ueniendum, ultimas terras peragrauit. Aegyptũ lustrauit, & Persarum Magos adijt, difficiles Barbarorũ regiones pedibus obijt, multa maria transmisit. Venit etiam Phliuntem, & cũ Leonte principe Phliasiorum doctè & copiosè quædam disseruit, non sine admiratione eius ingenij & eloquentiæ. Philosophi nomen primus inuenit, cum ante eum sapientes & haberentur, & nominarentur, qui in rerum contemplatione studia ponerent. Vide Tusc. 5. Inde Superbo regnante fuit in Italia, temporibus ijsdem, quibus L. Brutus patriam liberauit, tenuitq; magnam Graciam cum honore, & disciplina, tum etiam auctoritate: ac eã & priuatim & publicè exornauit præstantissimis & institutis & artibus. Locus, sedesq;, ubi uitam edidit, in Metaponto est. Doctrina uerò eius cum longè lateq; flueret, Romam permanauisse dicitur: idq; cum coniectura probabile esse, tum quibusdam etiã ue-

t 5 *stigijs*

stigÿs indicari, ait Cicero. Quis enim est, qui putet, cùm floreret in Italia, Græcia potentissimis & maximis urbibus ea, quæ magna dicta est: in hisq́; primū ipsius Pythagoræ, deinde postea Pythagoreorū tantum nomen esset, ut nulli alÿ docti uiderentur, Romanorū ad eorū doctißimas uoces, aures clausas fuisse? Quinetiā arbitratur Cicero propter Pythagoreorū admiratione͞, Numā quoq́; rege͞ (etsi annis permultis ante fuit, q̄ Pythagoras) Pythagoreum à posterioribus existimatū. Nam cum Pythagoræ disciplinā & instituta cognoscerent, regisq́; eius æquitatem, & sapientiā à maioribus suis accepissent, ætates aūt & tempora ignorare͞t propter uetustate͞, eum qui sapientia excelleret, Pythagoræ auditore͞ fuisse crediderunt. Pythagorei aūt (qui Philosophi Italici nominantur) carminibus soliti esse dicuntur, & præcepta quædā occultius tradere (solebant enim multa celare alienos) & mentes suas à cogitationū intentione cantu fidibusq́; ad tranquillitate͞ traducere. Præterea si quid affirmare͞t in disputādo, cùm ex ÿs quæreretur, quare ita esset, respondere solitos: Ipse dixit. Ipse aūt erat Pythagoras. Tantū opinio præiudicata poterat, ut etiā sine ratione ualeret auctoritas. Eius sunt hæ sententiæ.

Ex numeris, & Mathematicorum initijs proficisci omnia. 1. Acad.

Aram deorum sanguine non aspergendã. 1. de Natura Deorum. Vide in Diogene Laër. μετεμψύχωσιν.

Deum animum esse per naturam rerum omnem intentum & cõmeantem, ex quo nostri animi carperentur. 1. de Nat. deor. ubi refellitur. Delibatos animos ex uniuersa mẽte diuina. de Sen.

Tum maximè pietatem, & religionẽ uersari in animis, cum rebus diuinis operam damus. 2. de legibus & in Acad.

Iniussu Imperatoris Dei de præsidio & statione uita non decedendum. 2. de Leg.

Ad harmoniã canere mundũ. 1. de Nat. deor. uide Som. Scip. & Aristot. 2. de Cœlo.

Qui cæteris omnibus pro nihilo habitis, rerum naturam studiosè intuerentur, sapientiæ studiosos, id est, esse philosophos. 5. Tusc.

Summæ sapientiæ esse, rebus nomina impõnere. 1. Tusc. Plato in Crat.

Ad dormiendum, quo in somnijs certiora uideamus, præparatos quodam cultu, atq; uictu, proficisci oportere: fabaq; abstinere: quasi uerò eo cibo mens, non uenter infletur. 2. & 4. de Diuin.

Socra-

Socrates.

In Socrate uitia quædam Zopyrus ex eius forma notauerat. Quæ tamē ipse ratione ita deiecit, ut sanctißimè uixerit: doctusq; plane, ac omnium (etiam Apollinis oraculo) sapientißimus iudicatus fuerit: omniumq; eruditorum testimonio, ait Cicero, totiusq; iudicio Græciæ, cum prudentia & acumine, & uenustate, & subtilitate, tum uerò eloquentia, uarietate, copia, quam se cunq; in partem dedisset, omniū fuit facilè princeps. Archelaum Anaxagoræ discipulum audiuit. Diuitias ita contemsit, ut in pompa, cum magna uis auri, argentiq; ferretur, dixerit: Quàm multa nō desidero? Nudis pedibus, ijsq; durißimis, ferè semper erat. Hunc fidibus docuit senectute ferè confectum nobilißimus fidicen, qui Conus uocitatus est. Dicendi exercitationem exagitauit, atq; contemsit. Cuius tamen sermones, ab ijs, qui illum audiuerunt, cum ipse nullam literam reliquisset, perscriptos uariè copioseq; Cicero ita studiosè legit, ut cum eo uixisse sibi uideri dicat. Sunt Socratica pleraq; mirabilia, Stoicorum quæ Paradoxa nominantur: primusq; à rebus occultis & ab ipsa natura inuolutis (ut sunt numeri motusq; & unde omnia oriantur, quóue recedant, siderum magnitudi-

gnitudi-

gnitudines, interualla, cursus, & cuncta cœlestia) in quibus omnes ante eum Philosophi occupati fuerunt, auocauit Philosophiam, & ad uitam communem adduxit, ut de uirtutibus, & uitijs, omninoq; de bonis rebus, & malis quæreret: cœlestia autem uel procul esse à nostra cognitione censeret, uel si maximè cognita essent, nihil tamen ad bene uiuendum conferre: ob eamq; caussam eum aiunt Philosophiam de cœlo deuocasse, & in urbibus collocasse, & in domos etiam introduxisse. In omnibus ferè sermonibus, qui à Platone, & Xenophonte, & Aeschine perscripti sunt diligenter, ita disputat, ut nihil affirmet ipse, refellat alios: nihil se scire dicat, nisi idipsum: eoq; præstare cæteris, quòd illi quæ nesciant, scire se putent: Ipse se nihil scire, id unum sciat: ob eamq; caussam se arbitrari ab Apolline omnium sapientissimum esse dictum, quod hæc esset una sapiētia: Non arbitrari se scire quod nesciat. Quæ cùm diceret cōstanter, & in sententia permaneret, omnis eius oratio tum in uirtute laudanda, & in omnibus hominibus ad uirtutis studium cohortandis cōsumebatur: perfectum sibi opus esse ratus, si quis satis esset concitatus sua cohortatione ad studium cognoscendæ percipiendæq; uirtutis. Quibus enim

enim id persuasum esset, ut nihil mallent se esse, quàm bonos uiros, ijs reliquam facilem esse doctrinam. Sophistarum, qui arrogantibus sanè uerbis docere se profitebãtur, quemadmodũ caussa inferior fieri superior posset, opiniones percunctando & interrogando (ut ex Platone intelligi potest) elicere solebat, ut ad ea, quæ hi respondissent, si quid uideretur, diceret, de omnibus disputans. Hac enim ratione cõtra alterius opinionem disserendi, facilimè, quod uerißimum esset, inueniri posse iudicabat. Xantippe eius uxor prædicare solita est, eodem uultu semper se uidisse exeuntẽ illum domo, & reuertentem. Cum enim mentis, à qua is fingitur, nulla fieret mutatio, erat quoq; semper idem uultus, eademq; frons. Inductione quæ ex pluribus collatiõibus peruenit quo uult, quæq; Græcè παραγωγὴ nominatur, plurimum est usus in sermonibus, & societatibus: faceta etiam & eleganti ironia dißimulantiaq; longè omnib. præstitit. Homo enim minimè ineptus, & idem etiã facetus, cum de sapientia disputaretur, hanc sibi ipse detrahebat, eis tribuere illudẽs, qui eã sibi arrogarẽt. Vt apud Platonẽ, in cœlũ fert laudibus Protagorã, Hippiã, Prodicũ, Gorgiã, cæteros: se autẽ omniũ rerũ insciũ fingit & rudẽ.

Dicun-

Dicuntur ab eo dissociati diserti à doctis & deinceps à Socraticis omnibus philosophi eloquentiã despexisse, oratores sapientiã: hincq́; dissidium illud extitisse quasi linguæ atq; cordis, ut alij nos sapere, alij dicere docerent. Scelere tandem, & iniquitate iudicum in carcerem coniectus est, in quo nec patronũ quæsiuit ad iudicium capitis, nec iudicibus supplex fuit (quorum magister & dominus uidebatur esse potius quàm supplex aut reus) adhibuitq́; liberam contumaciam, à magnitudine animi ductam, non à superbia: & supremo uitæ die de immortalitate animorum multa disseruit: & paucis ante diebus, cum facilè posset educi è custodia, noluit: cumq́; pæne iam manu mortiferum illud teneret poculum, locutus ita est, ut non ad mortem trudi, uerum in cœlum uideretur adscendere. Critoni uerò suo familiari dixit sibi post tertium diem esse moriendum: uidisse enim, se in somnis pulchritudine eximia feminã, quæ se nomine appellans diceret Homericum quendã eiusmodi uersum:

Tertia te Phthia tempestas læta locabit.

Quod ut est dictũ, sic scribit Plato contigisse. Vide de eius Sepul. & Lysiæ oratiõe in Apoph. Huius ferè decreta sunt hæc apud Cic.

Animos

Animos hominum esse diuinos, eorumq́; duplices cursus è corpore excedẽtium. Impijs quoddam iter esse seclusum à concilio deorũ: bonis uerò & castis, ad deos, à quibus essent profecti, facilem reditum patere. 1. Tusc. & de Acad.

Bonos, beatos: improbos, miseros. 5. Tusc. Vide Apoph.

Bonorum uitam beatam. 5. Tusc.

Inter Alcibiadem summo loco natum, & quemuis baiulum, nisi uirtutem haberet, nihil interesse. 3. Tusc.

Vtilitatem à natura non esse seiungendã. 1. de Leg. & 3. Offic.

Voluptatem nullo loco numerandam. Cibi condimentum esse famem, potionis sitim. 2. de Finib. & 5. Tusc. in Apopht.

Omnes in eo, quod scirẽt, satis esse eloquẽtes. 1. de Orat.

Plato.

Plato, Isocratis fuit aequalis. Homo uarius & multiplex & copiosus, doctus & planè sapiens ac diuinus, magna uerecũdia, singulari eloquẽtia, & suauitate orationis, quae promissa est futura, cũ illi in cunis paruulo dormienti apes in labellis consedissent. Vnde & Iouem aiunt Philosophi, si Graecè loquatur, sic loqui,

loqui, & eum nō dicendi solum, sed etiam intelligendi grauissimum auctorem & magistrum multis locis Cicero uocat. Quem tanti fecit, ut Deum & principem philosophorum crediderit, & cum eo errare maluerit quàm cum alijs bene sentire, eius ipsa solum auctoritate fretus. Ab eo etiam qui dissident, plebeios & minutos esse philosophos putat. Ob eamq́; caussam à Platone tanquam sancto augustoq́; fonte multa de bene, beateq́; uiuendo præcepta cōmodè mutuatus, Latinè explicauit. Se in musicis, geometria, numeris, astris ferè contriuit, in quibus etiam fuit præstantissimus. Aegyptum peragrauit, ut à Sacerdotibus Barbaris numeros, & cœlestia acciperet, post Tarentum ad Architam, in Italiam ad cæteros Pythagoreos, Echecratē, Timæū, Acrionem, Locros: ut cum Socratē expressisset, adiungeret Pythagoreorum disciplinā, eaq́; quæ Socrates repudiabat, addisceret. Dionem Syracusium & Demosthenem doctrinā expoliuit. Remp. non attigit: quia cum offendisset populum Atheniensem propè iam desipientem senectute: cumq́; eum nec persuadendo, nec cogendo regi posse uidisset, cùm persuaderi posse diffideret, cogi fas esse non arbitrabatur. Nouam quandam finxit in suis libris

ciuitatem: usq; eò illa quæ dicenda de iustitia putabat, à uitæ consuetudine, & à ciuitatum moribus abhorrebant. In cæteris qui dialogi dicuntur (in quibus locutio, & si absit à uersu, tamen quòd incitatius feratur, & clarissimis uerborum luminibus utatur, potius poëma putanda, quàm comicorum poëtarum) nihil affirmatur, & in utranq; partem multa disserũtur, de omnibus quæritur, nihil certi dicitur, omnibus ferè Socrates exprimitur. Iniquitate Dionysij Siciliæ tyranni, cui se cõmiserat, in maximis periculis, insidijsq; uersatus est. Tandem uerò uno & octogesimo anno scribens mortuus. Ab eo una & cõsentiens duobus uocabulis philosophiæ forma instituta est: de qua diximus in Academicis, & Peripatet. Huius ferè decreta sunt hæc à Cic. notata.

Deum esse ἀσώματον, id est, sine corpore ullo. 1. de Nat. deor.

Opificem, ædificatoremq; mundi. de Vni.

Patrem huius mundi nominari non posse.

Quid sit omnino Deus, inquirẽdum non esse. 1. de Nat. deor.

Deũ Donis ab impijs non esse placandum, cum uir nemo probus ab improbo se donari uelit. 2. de Leg.

Casta dona Deo cõsecranda. Vide 2. de Leg.

Ex

Ex materia in se omnia recipiente mundũ esse factum à Deo sempiternum. in Luc.

Mentem, Ideam solã, idoneã cui crederẽtur, quia sola cerneret id q̃d semper esset simplex, et unius modi, et tale quale esset. 1. Aca.

Duos esse motus, unum suum, alterum externum: quæ sua sponte moueantur, diuiniora esse. Animum seipsum mouere, nec unquã desinere moueri, sed esse cæteris, quæ mouentur, fontem & principium mouendi, & proinde immortalem, & æternum. Som. Scip. & 1. Tusc. 1. de Nat. deor. de Senect.

Animi duas esse partes: alteram rationis participem, alteram expertem. In participe rationis ponit, Pythagoram secutus, trãquillitatem, id est, placidam, quietamq́ constantiã. In illa altera motus turbidos, tum iræ, tũ cupiditatis, contrarios, inimicosq́ rõni, q Græcis πάθη dicũtur, nostris pturbatiões. 4. Tusc.

Animam triplicem esse: cuius principatus, id est ratio in capite sicut in arce, ira in pectore, cupiditas subter præcordia. 1. Tusc.

Philosophandi rationem triplicem, unam de uita & moribus: alterã de natura, & rebus occultis, tertiam de disserendo. 1. Acad.

In ideis, quas rectè species, aut formas possumus dicere, quiddam esse diuinũ. 1. Acad.

eas non gigni, sed semper esse, & ratione, & intelligentia cōtineri. 1. de Orat. cætera, quòd oriantur & intereant, non esse. 1. Tusc.

Mundum esse sempiternum, animātem, sapientemq́, beatum & rotundum, quòd ea forma nulla sit pulchrior: Mundum Deum item, & cœlum, & astra, & terram, & animum. 1. de Nat. deor.

Omnem doctrinam ingenuarū, & humanarum artium uno quodam societatis uinculo contineri. 3. de Orat.

Memoriam recordationem esse superioris uitæ, & discere nihil aliud quàm recordari. 1. Tusc. & de Senect.

Titanū è genere esse eos, qui ut illi cœlestibus, sic hi aduersantur magistratib. 3. de Leg.

Quæcunq́ mutatio morum in principib. exstiterit, eandem in populo secuturam. 3. de Leg. & 1. Epist. Famil.

Ei qui Reip. præfuturus sit, duo tenenda: unum, quidquid agitur, ad utilitatem ciuiū referendum: Alterum, totum corpus Reip. curandum. 1. Offic.

Naturales quasdam esse conuersiones Rerumpub. 2. de Diuin.

Philosophos in ueri inuestigationē uersari, eosq́ iustos. 5. Tusc.

Nihil

Nihil præter uirtutem bonum.5.Tusc.

Oculorum sensum acerrimum.2.de Finib.

Poëtas ex ciuitate eijciendos, quod neruos omnes uirtutis elidant.2.Tusc.

Bonos beatos, improbos miseros.5.Tusc.

Sapientem effici neminem, si bis in die saturus fiat, nec unquã pernoctet solus.5.Tusc.

Nihil tam effluere in animos teneros atq; molles, quàm uarios canẽdi modos. 2.de Leg.

Musicorum cantibus mutatis, mutari ciuitatum status.3.de Leg.

Iusta funerũ ad interpretes religionũ pertinere, sepulcrorũ nullã partẽ ex agro culto, eóue qui coli poßit, sumendam.2.de Leg.

Sic ad somnum proficiscendum corporibus affectis, ut nihil sit, quod errorẽ animis, perturbationemq́; afferat.1.de Diuin.

Voluptatem malorum escam.de Senec.

Vim neq; parenti, neq; patriæ afferendam. 1.Epist.Famil.Vide reliqua in Apophth.

Aristoteles.

Aristoteles Stagirites longè omnibus (Platone excepto) ingenio, & diligẽtia præstans, in rebus uel inueniendis, uel iudicãdis acerrimus, admirabili quadam scientia & copia cæterorũ studia restinxit. Platonis alumnus fuit. Hic in tertio de Philosophia libro

multa turbat, à magistro Platone, uno dissentiens: modò enim menti omnem tribuit diuinitatem, modò mundum ipsum Deum dicit esse, modò quendã alium præficit mundo, eiq; eas partes tribuit, ut replicatione mũdi quadam motum regat, atq; tueatur: tum cœli ardorem Deum dicit esse, nõ intelligens cœlum mundi esse partem, quem alio loco ipse designarit Deum. Hic primũ eas species, quas mirificè magister Plato erat amplexatus, labefactauit. Veteres Philosophos accusans, qui existimassent philosophiã suis ingenijs esse perfectam: aiebat eos aut stultißimos, aut gloriosißimos fuisse, sed se uidere, quod paucis annis magna acceßio facta esset, breui tempore philosophiam planè absolutã fore. Itaq; uitæ degendæ ratio maximè quidem illi placuit quieta, in cõtemplatione, & cognitione posita rerum: quæ quia deorum erat simillima, sapiente uisa est dignißima: atq; ijs de rebus et splendida est eius & illustris oratio. Duo genera eius librorum sunt: unum populariter scriptũ, quod ἐξωτερικὸν appellatur: alterum limatius, quod in commentarijs relictum est. Persecutus est omnium animantium ortus, uictus, figuras: tum omnium ferè ciuitatũ non Græciæ solùm, sed etiam Barbariæ mores, institu-

ta, disciplinas: qualem in Repub. principem esse conueniat, qui esset optimus Reip. status docuit, omnemq́; hunc ciuilem locū post Platonem philosophorum principem illustrauit. Grauiter & uerè eos reprehendebat, qui has effusiones pecuniarum non admirarentur, quæ fiunt ad multitudinem deliniendā. Tandem uerò cum florere Isocratē (cui paulo infensius aduersatus fuisse uidetur) nobilitate discipulorum uideret, quod ipse suas disputationes à caussis forensibus & ciuilibus ad maiorem sermonis eloquētiam transtulisset, mutauit repentè totam formam propè disciplinæ suæ, uersumq́; quendam de Philoctete paulo secus dixit. Ille enim turpe sibi ait esse tacere cū Barbaris, hic aūt, cū Isocratē pateretur dicere. Itaq; ornauit, & illustrauit doctrinā illam oēm, quā pomeridianis horis docebat, rerumq́; cognitionē cū oratiōis exercitatiōe cōiunxit. De Rhetorica scripsit accuratè, eiusq́; originē sic docuit. Cū sublatis in Sicilia tyrānis res priuatæ lōgo interuallo iudicijs repeterētur, tū primū (q̄ esset acuta illa gens, & cōtrouersa natura) artē & præcepta Siculos Coracem, & Tysiā conscripsisse. Nā antea neminem solitum uia nec arte, sed accuratè tamē de scripto plerosq; dicere: scriptasq́; fuisse

& paratas à Protagora rerum illustrium disputationes, quæ nunc communes appellãtur loci. À principe igitur illo, atq; inuentore Tysia ueteres artis scriptores repetitos unum in locum conduxit, & nominatim cuiusq; præcepta, magna conquisita cura, conscripsit, atq; enodata diligenter exposuit: ac tantum ipsis inuentoribus suauitate, & breuitate dicendi præstitit, ut nemo illorum præcepta ex ipsorũ libris cognoscat, sed omnes qui quod illi præcipiũt, uelint intelligere, ad hũc quasi ad quendam multo commodiorem explicatorem reuertãtur. Huius mos in docendo fuit, ut adolescentes non ad Philosophorũ morem tenuiter disserẽdi, sed ad copiã Rhetorũ in utranq; partẽ, ut ornatius & uberius dici posset, exerceret. Idemq; ut in omni caussa duas contrarias rationes explicarent, locos (sic enim appellat) quasi argumentorum notas, tradidit, unde omnis argumentatio, & ad philosophorum disputationem, et ad hanc, qua in caussis utimur, inueniretur. Quo factum est, ut Philippus Rex sapientissimus hunc filio suo Alexandro doctorẽ adscierit, à quo eodem ille & agendi acciperet præcepta, & eloquẽdi. Cùm uerò argumẽtandi genus, quod per ratiocinationẽ expolitur, summè ab eo esset freq̃ntatũ, postea

postea Stoici, qui Dialectici dicuntur, spinosiora multa pepererunt. Ciceronis temporibus, ab ipsis philosophis, præter admodũ paucos, ignorabatur. Quos in Topicis reprehendit Cicero, quod non modo rebus his, quæ ab illo dictæ & inuentæ sunt, allici debuerunt: sed dicendi quoq; incredibili quadam cum copia, tum etiam suauitate. Huius sunt decreta hæc notata à Cicerone.

Deos esse huius mundi moderatores. 2. de Natura Deor.

Mundum non esse ortum, quòd nulla fuerit nouo consilio, initio tam præclari operis, inceptio. In Luc. 4. & 1. Tusc.

Quintum esse, qualitatum genus, uacans nomine, è quo sint astra, mentesq; singulares, quattuor elementorum dissimile. 1. Academ 1. Tusc.

Animum ἐντελεχίαν *appellat nouo nomine, quasi quandam continuatam & perennem motionem. 1. Tusc. Vide 1. de Diuin. de Animo in Eudemi somnio.*

Quæ mouentur, aut natura moueri omnia, aut ui, aut uoluntate. 2. de Nat. Deor.

Ortum quorundam animalium, esse in igne uel æthere, quòd sit ad gignenda animalia aptissimus. 2. de Nat. Deor.

Somnia fieri ex reliquiis inhærentibus earum rerum, quas uigilans gesseris, aut cogitaris. 2. de Diuin.

Omnes ingeniosos melancholicos esse, habere etiam aliquid in animis præsagiens ac diuinum. 1. Tusc.

Apud Hypanem fluuium, qui ab Europæ parte in Pontum influit, bestiolas quasdam nasci, quæ unum diem uiuant. 1. Tusc.

Grues cum loca calidiora petentes maria transmittunt, trianguli formam efficere: eius enim summo angulo aerem ab aduerso pelli: deinde sensim ab utroque latere tanquam remis, ita pennis cursus auium leuari. 2. de Nat. Deor.

Omnia quæ secundum naturam sint, esse bona: quæ autem contra, mala. Diuitias bonum. 4. de Fin.

Honestatē non solum expetendam, sed omni pondere grauiorem esse habendā, quàm reliqua omnia. 3. Offic.

Virtutem ad supplicium cum beata uita in Tartarum, taurum descendere. 5. Tus.

Rhetoricam quasi ex altera parte respondere Dialecticæ. In Orat.

Tribus in generibus rerum uersari Rhetoris officium: demonstratiuo, deliberatiuo,

uo, iudiciali. 1. de Inuentione.

In deliberatiuo finem esse utilitatem. 2. de Inuen.

In oratione numerum, non uersum esse debere. In Orat.

Qui pedes seruandi sint, uide ibidem.

Eam figuram, quam Rhetores Hypallagen appellant, Metonymiam grammatici, ut cum pro Afris immutamus Africã, translationi subiungi, & abusionem quam catachresin uocant, ut, cum minutum dicimus animum pro paruo. In Orat.

Speusippus.

Speusippus à Platone auunculo relictus est, quasi philosophiæ hæres, cum Xenocrate in Academia. Censuit uim quandam esse, qua omnia regantur, eamq́ animalem: nolens euellere ex animis cognitionem deorũ. 1. de Nat. Deor.

Xenocrates.

Xenocrates Aristotelis condiscipulus, de Natura Deorum libros scripsit, in quibus nulla species diuina describitur. Tantopere uirtutem exaggerat, & extenuat cætera, & abijcit, ut inde philosophorũ grauissimus sit habitus, cum tamen esset hebes, & tardus ingenio. Hinc ciues cum testimoniũ dicentẽ

iurare

iurare prohibuerunt. Vide eius Apophth. Huius uero hæc sunt præcepta:

Nullam esse animi figuram, & quasi corpus: uerum numerum, cuius uis in natura maxima esset. 1. Tusc.

In uirtute non beatam modo uitam, sed etiam beatissimam. 5. Tusc.

Deos esse octo, quinque eos, qui in stellis uagis nominantur: unum, qui ex omnibus sideribus, quæ infixa cœlo sunt, ex dispersis quasi membris simplex sit putandus Deus: septimum Solem, octauum Lunam. 1. de Natur. Deorum.

Polemo.

Polemo Atheniensis, cum in adolescentia uoluptarius esset & impudicus, Xenocratis oratione de temperantia seipsum collegit, & eum postea est insequutus. Disputauit cum Zenone, summumq́; bonum esse dixit, secundum naturam uiuere, finiri tamen adiuncto aliquo. Vide 4. de Fin.

Crantor.

Crantor Solensis, Xenocratis auditor, Polemonisq́; socius in dicendo fuit, in ueteri Academia uel in primis nobilis. Scripsit de luctu aureolum, & (ut Tuberoni Panætius præcipit) ad uerbum ediscendum libellum:

Vbi

Vbi ait, Terinæum quendam Elisiam, cum grauiter filij mortem mœreret, uenisse in Psychomantium, quærentem quæ fuisset tantæ calamitatis causa, huic in tabellis tres huiusmodi uersiculos datos:

Ignaris homines in uita mentibus errant:
Euthynous potitur fatorum munere læto.
Sic fuit utilius finiri ipsiq́, tibiq́.

Nullam posse esse indolentiā tenuit. Nam istud nihil dolere: immanitatis esse in animo, stuporis in corpore. 1. Tusc.

Chrysippus.

Chrysippus Solensis, Cleanthis discipulus, homo fuit acerrimo ingenio, qui fulcire porticum Stoicorum dictus est, in quibus ab eo nihil prætermissum putabatur. Notus enim ille uersiculus:

Εἰ μὴ γὰρ ἦν χρύσιππος, οὐκ ἂν ἦν στοά.

Contra Academicos & Aristonem de summo bono diligentissime disputauit. De quo putabat tres solas esse sententias, quæ defendi possint: aut enim honestatem esse finē bonorum, aut uoluptatem, aut utrūq́. Nam qui dicant summum bonum id esse, si uacemus omni molestia, eos inuidiosum nomen uoluptatis fugere, sed in uicinitate uersari. Quod facere eos etiam, qui illud idem cum hone-

honestate coniungerent: nec multo secus eos, qui ad honestatem prima naturæ commoda adiungerent. De uoluptate autem cum honestate, non magnam cum cæteris habuit contentionem. Multum operæ consumebat, dum morbis corporum compararetur morborum animi similitudo. Cumq; de perturbationibus animi disputaret, magnam partem in iis partiendis & definiendis erat occupatus. Illa, sicut cæterorum Stoicorum, perexigua oratio erat, qua mederetur animis, nec eos turbulentos esse pateretur. Studiose omnia conquisiuit contra sensus, & perspicuitatem, contráque omnem consuetudinem, contráque rationem. In quo queri solebant Stoici ipsum sibi respondentem inferiorem fuisse, & inde armatum Carneadem eam de diuinatione duobus libris explicasse sententiam, uno præterea de somniis, uno de oraculis, quæ innumerabilia collegit, nec (ullum ut erat in omni historia curiosus) sine locuplete auctore atque teste. Stoicorum etiam somniorum uaferrimus interpres fuit, & de Natura deorũ libros scripsit: quorum argumenta sunt 1. & 2. de Diuin. Præterea de legibus. Ex quibus tota de lege Ciceronis disputatio sumpta est, tametsi Platonis

tonis exemplo de Legibus differitur. Deniq; de Rhetorica, sed sic, ait Cicero, ut si quis obmutescere concupierit, nihil aliud legere debeat. De dialecticis ab eo maxime est elaboratum. In quibus quædam proponebat, quæ ne ipse quidem potuit dissoluere: quale illud est, Si dicis te mentiri, uerúmque dicis: mentiris. dicis autem te mentiri, uerúmque dicis: mentiris igitur. Ad dissoluendas captiones Soritarum uolebat aliquanto prius, quàm ad multa perueniat, quiescere, nec ultra progredi, quod ἡσυχάζειν dicitur. In hac Stoicorum arte, quæ Ciceronis ætate florebat, parum inter hunc & Diodorum conueniebat, ut Cic. scribit in epist. quadam ad Varronem lib. 9. Diodorus enim id solum fieri posse dicebat, quod aut esset uerum, aut futurũ esset uerum: & quidquid futurum esset, id dicebat fieri necesse esse. & qđqd non esset futurũ, id negabat fieri posse. Chrysippus aũt, & quæ nõ sint futura, posse fieri dicebat, ut frãgi hãc gemmã, etiam si id nunquam futurum sit: neque necesse fuisse, Cypsellũ regnare Corinthi: quanquã id millesimo ante anno Apollinis oraculo editum esset. Contagionẽ etiam probabat, rerũ cõuenientiã ex cõiunctione naturæ, & quodam con-

contactu, cùm ipsa rerum natura cõtinuatâ sit, & cohærens: συμπάθειαν Græci uocant. Itaq; fati assertor, uoluntatis libertatem retinebat. Fatum enim non ex necessariis causis & principalibus necti, sed ex iis quæ præcursionem afferunt, & antecessionem, sine quibus res effici non posit. De quo sic Cicer. de Fato. Cum, inquit, duæ sententiæ fuissent ueterum philosophorum: una eorum, qui censerent omnia ita fieri, ut id fatum uim necessitatis afferret, in qua sententia Democritus, Heraclitus, Empedocles, Aristoteles fuit: altera eorum, quibus uiderentur sine ullo fato esse animorum motus uoluntary: Chrysippus tanquam arbiter honorarius, medium se ferre uoluit, sed applicat se ad eos potius, qui necessitate motus animos liberatos uolunt. Dum autem uerbis utitur suis, delabitur in eas difficultates, ut necessitatem fati confirmet inuitus. Itaq; æstuans laransq; orationis genus insolens, & ignotum Medicis, Geometris, & reliquis, sequebatur, negationes infinitarum coniunctionum potius, quàm infinita connexa ponens, hoc modo: Non natus est quis oriente Canicula, & is in mari morietur. In Ceramico Athenis statua erat Chrysippi sedentis porrecta manu.

Quæ

Quæ manus significabat illum in hac esse rogatiuncula delectatum: Nunquid nam manus tua sic affecta, quemadmodum nunc est, desiderat? nihil sane. At, si uoluptas esset bonum, desideraret. Ita credo. Non est igitur uoluptas bonũ. Præcepta ab eo sũt eiusmodi.

Deum homine meliorem, quòd res cœlestes, omnesq́; quarum est ordo sempiternus, confecerit, quæ ab homine confici non possũt. 2. & 3. de Nat. Deor.

Mundo undiq; perfecto inesse mentem & rationem, & propriam uirtutem, & proinde sapientem, & Deum. 2. de Nat. Deor.

Vim diuinam in ratione esse positam, & uniuersæ naturæ animo, atq; mente: ipsumq́; mundum Deum esse, & eius animi fusionem uniuersam: tum eius ipsius principatum, qui in mente & ratione uersetur, communemq́; rerum naturam uniuersarum, atq; omnia continentem, tum fatalem umbram, & necessitatem rerum futurarum. Ignem præterea, & eum, quem ante dixi, æthera: tum ea, quæ natura fluerent, atq; manarẽt: ut aquã, & terrã, & aera, Solem, Lunam, sidera, uniuersitatemq́; rerum, qua omnia continerentur, atq; homines etiam eos, qui immortalitatem essent consecuti, &c. Vide 1. de Diuin.

Diuinationem esse uim cognoscentem & uidentem, & explicantem signa, quæ à diis hominibus protendantur. Officium autem eius esse, prænoscere, dij erga homines mente quæ sint, quídque significent, quemadmodúmque ea procurentur, atque expientur. 2. de Diuin.

Somniorum coniectionem esse uim cernẽtem, & explanantem, quæ à diis hominibus significentur in somnis. 2. de Diuin.

Ad hostiam deligendam, ducem esse uim quandam sentientem, atq; diuinam, quæ tota mundo confusa sit. 2. de Diuin.

Animantium alias corpore excellere, alias autem animo, non nullas ualere utraque re. Cum autem homo in eo animantium genere sit, ut ei tribuatur animi excellentia, summum bonum esse, non excellere animo, sed uti nihil esse præter animum uideretur. 4. de Finibus.

Cætera nata esse hominum causa, & deorum: eos autem communitatis & societatis suæ: ut bestiis homines uti ad utilitatẽm suam poßint sine iniuria: Quoniámque ea natura esset hominis, ut cum genere humano quasi ciuile ius intercederet, qui id conseruaret, eum iustum: qui ui ageret, iniustum fore.

re.3.de Finibus & 3. de Natura Deorum.

Fruges atque fructus, quos terra gignit, animantium causa, animantes autem hominum: Hominem autem ortum ad mundum contemplandum, & imitandum, nullo modo perfectum, sed quandam particulam perfecti, id est mundi.2.de Nat.Deor.

Sui animali, ne putresceret, animã ipsam pro sale datam esse.3.de Nat.Deor.

Aegritudinem λύπην, quasi λύσιν, id est, solutionem totius hominis appellari. 3. Tusc.

Ad recentes quasi tumores animi remedium non adhibendum.4.Tusc.

Fortitudinem esse scientiam perferendarum rerum, uel affectionem animi in patiendo, uel perferendo, summæ legi parentem sine timore.4. Tusc.

Quod prouisum ante non sit, id ferire uehementius.3.Tusc.

Detracta utilitate, ne digitum quidem bonæ famæ uel gloriæ causa porrigendum esse.2.de Finibus.

Omnia uera in præteritis esse necessaria. de Fato.

Non ualere in omnibus: Si, quod primum in connexo est, necessarium est, fieri etiã quod consequitur, necessarium.de Fin.

Fato omnia fieri. Vide ibidem quibus rationibus utatur.

Omnem enunciationem aut ueram, aut falsam esse. de Fato.

In rebus quædam simplicia, quædam copulata. Simplex esse, Morietur eo die Socrates: copulatum & confatale, Nascetur Oedipus Laio, quia ita fatum sit, & concubiturum cum uxore Laium, & ex ea Oedipum procreaturum. de Fato.

Causarum alias perfectas & principales, alias adiuuantes & proximas, de Fato.

Theophrastus.

Theophrastus diuinitate loquēdi nomen inuenit, multa enim diserte copioseq́ dixit: uir & oratione suauis, & ita moderatus, ut præ se probitatem quandam & ingenuitatem ferret. Institutus ab Aristotele, locum ciuilem, quem πολιτικὸν *dicimus, illustrauit, & de magistratibus multa quæsiuit subtilius. Athenis uixit. Vnde (cum percunctaretur ex anicula quadam, quanti aliquid uenderet, & respondisset illa atq; dixisset: Hospes non possem minoris) tulit moleste se non effugere hospitis speciem, cum Athenis ætatem ageret, optimeq́; loqueretur. De libris*

bris eius sic accepimus. Primum tractauit locos ab Aristotele ante tractatos. Stirpium naturas, omniumq; fere rerum, quæ è terra gignerentur, caussas atque rationes persecutus est, qua ex cognitione facilior facta est inuestigatio rerum occultißimarum. De beata uita librum scripsit, & de diuitiis, in quo multa p̃clare, illud absurde. Est enim multus in laudanda magnificentia & apparatione popularium munerum, taliumq; sumptuum facultatem, fructum diuitiarum putat. recte laudata est hospitalitas. Cæterum uexatus est & libris & scholis omnium philosophorum, quòd in Callisthene laudarit illam sententiã: Vitã regit fortuna, nõ sapiẽtia. Callisthenes aũt illi sodalis erat. Cuius interitũ deplorans, reb. Alexandri prosperis angebatur. Itaq; dicebat Callisthenẽ incidisse in hominẽ summa potẽtia, summaq; fortuna, sed ignarũ quẽadmodũ reb. secũdis uti cõueniret. In eo etiã incõstantiæ notatur, quod modo mẽti tribueret diuinũ principatũ, modo cœlo: tum aũt signis, sideribusq; cœlestibus. Et cùm statuisset uerbera, tormenta, cruciatus, patriæ euersiones, exilia, orbitates, magnam uim habere ad male misereq; uiuendum, nõ est ausus clare & ample loqui, cũ humiliter

demißeq; sentiret. Quàm bene, nō quæritur: constanter quidem certe, ait Cicero. Tauriscum quendam dixit actorem auersum solitum esse dicere, qui in agendo contuens aliquid pronunciaret. Tandem moriens accusasse naturam dicitur, quòd ceruis, & cornicibus uitam diuturnam, quorum id nihil interesset, hominibus, quorum maximè interfuisset, tam exiguam uitam dedisset. Quorū si ætas potuisset eße longinquior, futurū fuisse, ut omnibus perfectis artibus, omni doctrina hominum uita erudiretur. Querebatur igitur, se tum, cùm illa uidere cœpisset, extingui. Huius sunt hæ sententiæ.

Esse quædam & corporis & fortunæ mala, in quibus omnibus qui sit, beatum fore, si sapiens sit. 2. Acad.

Cū fortuna, dolore, cruciatu corporis beatam uitam nullo modo cōiūgi poße. 5. de Fin.

In sola uirtute non esse positum beate uiuere. 1. Acad. & 5. de Finib.

Orationem, quæ quidem sit polita atq; facta quodam modo, nō astricte, sed remißius, numerosam eße oportere. 3. de Orat. item ornatum illud suaue, & affluens. Orat.

In uerbis esse uerecundam trāslationem. 1. 6 Epist. Famil.

Arce-

Arcesilas.

Cum iam philosophorum disciplinæ grauissimæ constitissent, tum exortus est, ut in optima Repub. T. Gracchus, qui otium perturbaret: sic Arcesilas, qui bene iam constitutam philosophiam euerteret, & in eorum auctoritate delitesceret, qui negaßent quidquam sciri, aut percipi poße. Cùm enim Polemonem audißet, copiáque rerum, & dicendi ui, ac ingenij acumine plurimum ualeret, multa apertè perspicuéque & peruersa, & falsa persuasit, ac ex uariis Platonis libris, sermonibúsque Socraticis, hoc maximè arripuit: nihil eße certi, quod aut sensibus, aut animo percipi poßit. Hinc recentior Academia emanauit, cuius ratio primo non admodum probata est. Sic igitur instituit, omne animi, sensúsque iudicium aspernatus (unde illa neceßario nata est ἐποχὴ, id est, aßensionis retentio) non quid ipse sentiret, ostendere, sed contra id, quod quisque se sentire dixißet, disputare. Itaque Zenoni, qui tum florebat, se uehementer opposuit, eiúsque definitiones labefactare conatus est, & ei obtrectare, nihil noui reperienti, sed emendanti superiores, immutatione uerborum: quod fecisse dicitur, nõ pertinacia, aut studio

uincendi, sed earum rerum obscuritate, quæ ad confeßionē ignorationis adduxerant Socratē, & ueluti amātes Socratē, Democritū, Anaxagorā, Empedoclem, oēs pene ueteres, qui nihil cognosci, nihil percipi, nihil sciri posse dixerūt, angustos sensus, imbecillos animos, breuia curricula uitæ, opinionibus & institutis omnia teneri, nihil ueritati relinqui, deinceps omnia tenebris circumfusa esse dixerunt. Hoc sic intelligi dicit Cicero in Lucullo: Nemo, inquam, superiorum, non modo expresserat, sed ne dixerat quidem, posse hominem nihil opinari: nec solū posse, sed ita necesse esse sapienti. Visa est Arcesilæ, tum uera sententia, tum honesta, & digna sapiente. Quæsiuit de Zenone fortasse, quid futurum esset, si nec percipere quidquam posset sapiens, nec opinari sapientis esset. Ille, credo, nihil opinatur: quoniam eßet quod percipi poßet. Quid ergo eßet id? Visum credo. Quale igitur uisum? Tum illum ita definiuiße, ex eo quòd eßet, sicut eßet impressum, & signatum, & effectum. Post requisitum, etiam ne si eiusmodi eßet uisum uerum, quale falsum. Heic Zenonem uidiße acutè, nullum eße uisum, quod percipi poßet si id tale eßet, ab eo quod est, ut eiusmodi ab eo,

eo, quod non est, posset esse. Rectè consensit Arcesilas ad definitionem additũ: neq; enim falsum percipi posse, neq; uerũ, si esset tale, quale uel falsum. Incubuit autem in eas disputationes, ut doceret nullum tale esse uisum, à uerò, ut non eiusdem modi etiam à falso possit esse. Is cùm arderet podagræ doloribus, uisitassetq; hominem Carneades Epicuri perfamiliaris, & tristis exiret, Mane quæso, inquit, Carneades noster, nihil illinc huc peruenit: ostendit pedes & pectus: attamen hic malebat non dolere. Huius hæc sunt decreta.

Omnia falsa esse, quæ sensibus uideantur. 1. de Nat. deor.

Sapientem non opinari, & proinde nulli rei assentiri. 2. Acad.

Sapientis uim esse maximã, cauere ne capiatur, & ne fallatur uidere. 2. Acad.

Carneades.

Carneades Cyrenæus, in nouis Academicis quartus ab Arcesila numeratur. Audiuit enim Egesimum, qui Euandrum audiuerat, Lacydis discipulum, cum Arcesilæ Lacydes fuisset. Diuina celeritate ingenij, dicendiq; copia uir fuit, nullius philosophiæ partis ignarus, & memoria diuina: dicebat enim se tanquam literis in cera, sic imaginibus in locis

quos haberet, quæ meminiſſe uellet, præſcribere. Multos auditores Athenis habuit, ut Q. Metellum clariſſimum uirum, & Romæ Scæuolam, qui admodũ floruerunt. Itaq; cũ multa diſsereret, nouam Athenis Academiã obtinens cum Clitomacho & Aeſchine, excitauit homines nõ ſecordes ad ueri inueſtigandi cupiditatem. Ab Athenienſibus legatũ miſſum eſſe ad ſenatum Carneadem Academicũ cum Diogene Stoico dicit Cicero. 4. Tuſc. Epicureus Zeno quanquam ab eo plurimum diſſentiebat, unum tamen præter cæteros mirabatur. Incredibili quadam fuiſſe fertur dicendi facultate. Hinc Cicero 3. de Orat. ait: Si eximiam dicendi ſpeciem adamet orator, Carneadeam, aut Ariſtoteleam uim eſſe comprehendendam. Et de Vniuerſ. Fuit, inquit, uir ille, cum cæteris artibus, quæ quidem dignæ libero eſſent, ornatus omnibus, tum acer inueſtigator & diligens earum rerum, quæ à natura inuolutæ uidentur. Deniq; ſic iudico, poſt illos nobiles Pythagoreos, quorum diſciplina extincta eſt quodammodo, cùm aliquot ſecula in Italia Siciliaq; uiguiſſet, hunc extitiſſe, qui illam reuocaret. In diſputationibus nullã unquam rem defendit, quam non probarit, nullam oppugnauit, quã non euerterit. Erat

enim

enim in dialectica summus, & egregiè exercitatus. Cuius ignaros sic ludebat. Si rectè cõclusi, teneo: sin uitiosè, minam Diogenes red dat. Ab eo enim Stoico dialecticã didicerat: hæc autem merces erat dialecticorũ. De Epicureis sic statuit, eos potuisse suam causam sine commentitia atomorum declinatione defendere. Nam cùm doceret, esse posse quendã animi motum uoluntarium, à se ortum, cuius antegressæ & externæ causæ nullæ essent, id fuit defendi melius, quàm introducere declinationem, cuius præsertim causam reperire non possunt. Quo defenso, facilè Chrysippo possent resistere. Contra Stoicorum uerò, quos studiosissimè semper refellebat, disciplinã ingenium eius exarserat, & in omni hac quæstione, quæ de bonis & malis appellatur, pugnare non destitit, nõ esse rerum Stoicis cum Peripateticis controuersiam, sed nominum. Nam cum alij externa ne bona quidem dicerent, omnia in animo reponerent, eorum controuersiam solebat tanquam honorarius arbiter iudicare. Cùm enim quæcunq; bona Peripateticis, eadem Stoicis commoda uiderentur, neque tamen Peripatetici plus tribuerent diuitijs, bonæ ualetudini, cæterísque generis eiusdem, quàm Stoici: cum ea re,

non

non uerbis ponderarentur, causam esse differendi negabat. Mos eius erat disputandi, sicut cæterorum Academicorum, cõtra omne quod esset propositum: & πεϱϐολὼ, pugilis, & retentionem, aurigæ similem faciebat. Tandẽ uerò nonaginta annos nat⁹ obijt. Vide Lucul.

Decreta Carneadis.

Mortale omne animal & dissolubile, & diuiduum necessario, quòd habeat patibilem naturam. 3. de Nat. deor.

Nullum corpus sempiternũ. 3. de Nat. deor.

Nõ fato fieri quæcunq; fiunt, esse enim multa in nostra potestate. de Fato.

Diuinationem non esse (etsi immutabilitas in futurorum ueritate sit) nisi in ijs quæ naturalibus & necessarijs causis continerentur. An enim Iupiter cornicem à læua, coruũ à dextera canere iussit? 1. de Diuin.

Ne Apollinem quidem futura posse dicere, nisi ea quorum causas natura ita contineret, ut ea fieri necesse esset. Quid enim spectans Deus ipse diceret Marcellũ, &c. Vide de Fato.

Duo esse uisorum genera. In uno hanc diuisionẽ: alia uisa esse, quæ percipi posʃint: alia quæ non posʃint. In altero autem, alia uisa esse probabilia, alia non probabilia. Itaq; quæ contra sensus, contraq; perspicuitatem dicantur,

ea

ea pertinere ad superiorem diuisionem: contra posteriorem nihil dici oportere. Quare ita placere, tale uisum nullum esse, ut perceptio consequeretur: ut autem probatio, multa. Etenim contra naturam esset, si probabile nihil esset. in Luc.

Virtutem satis habere ad beatam uitam præsidij. 5. Tusc.

Sapientem interdum opinari. in Luc.

Nihil improbè faciendum, etiam si impunè fieri posit. 2. de Finib.

Eos qui Rhetores nominarentur, & qui dicendi præcepta traderent, nihil planè scire, neq; posse quenquã facultatem assequi dicendi, nisi qui philosophorum inuenta didicisset. 1. de Orat.

Philo.

Philo, Antiochi magister, uir magnus fuit, & Academiæ nouæ patrocinium suscepit. Cumq; ille cum Athenienfium optimatibus Mithridatico bello domo profugisset, Romãq; uenisset, Ciceronem habuit auditorẽ. Negabat duas Academias esse, erroremq; eorum, qui ita putabãt, uehementißimè coarguebat. Alio tempore rhetorum præcepta tradere, alio philosophorum instituit: atq; harum cau sarum, quæ uniuersæ sunt uel temporibus uel locis,

locis, ac rei definitæ: cognitionẽ exercitatiõnemq́; celebrauit. Epicureos uerò ferre nõ poterat aſpernari molles & delicatas uoluptates. Summa enim memoria pronũciabat plurimas Epicuri ſententias ijs ipſis uerbis, quibus erãt ſcriptæ. Porrò à Catulo reprehenſus eſt. Dum enim, ait Cic. in Luc. noua quædam cõmouet, quòd ea ſuſtinere uix poterat, quæ contra Academicorum pertinaciam dicebantur, & apertè mentitur, & ut docuit Antiochus, in idipſum ſe induit, quod timebat. cùm enim ita negaret quidquã eſſe, quod comprehendi poſſet (id enim uolumus eſſe ἀκατάληπτον) ſi illud eſſet, ſicut Zeno definiret, tale uiſum (iam enim hoc pro φαντασία uerbũ ſatis heſterno ſermone triuimus) uiſum igitur impreſſum, effectũq́; ex eo unde eſſet, quale eſſe nõ poſſet, ut ex eo, unde eſſet, id nos à Zenone definitum rectè, certiſſimè dicimus, &c.

Antiochus.

Antiochus Philonis, ut dixi, auditor, cùm ingenio ſcientiaq́; excellere putaretur, cũ Lucullo Alexandriæ tunc quæſtore fuit, & poſt aliquot annos imperatore, ut eſt in Lucul. Cic. ubi de Antiocho multa, quæ heic breuitatis cauſa omiſimus, uariè dicuntur, & aliquot locis reprehenditur, quod cum Academicùm

micum se ueterem profiteretur, tamen à disciplina ueteris Academiæ desciſceret, quæ cenſebat ſapientem interdum opinari. Et inconſtantiæ notatur, quòd cùm Academiam nouã diu laudaſſet, poſtea uituperauit. Qua in re uidebatur nominis Academiæ ueteris dignitatem, cum à re ipſa deſciſceret, retinere uoluiſſe, quod erant qui illum gloriæ cauſa facere dicerent: ſperare etiam, fore, ut ij, qui ſe ſequerentur, Antiochij uocarentur. In Bruto ſic ſcribitur: Sex menſes cum Antiocho ueteris Academiæ nobiliſſimo et prudentiſſimo philoſopho fui: ſtudiumq́; philoſophiæ nunquam intermiſſum, à primáque adoleſcentia cultum, & ſemper auctum, hoc rurſus ſummo auctore & doctore renouaui. Poſtquam uerò ipſe cœpit, qui ſe audirent, habere, à Philone præceptore non diſceſſit modo, ſed contra eum ſcripſit, & maximè perturbatum dixit. Cæterùm Stoicorum fuit aſtipulator, quanquam ab ijs quibuſdam in rebus diſſentiebat: librumq́; ſcripſit, in quo Stoicos cum Peripateticis re conſentire dicebat, uerbis diſcrepare. De quo ſic Balbus, ad quem hic liber miſſus fuerat, ait libro 1. de Natur. deor. Miror Antiochum hominem in primis acutum non uidiſſe, intereſſe plurimum inter

inter Stoicos, qui honesta à commodis non nomine, sed genere toto disiungerent, & Peripateticos, qui honesta commiscerent commodis: ut ea inter se magnitudine, & quasi gradibus, non genere differrent. Hæc enim est non uerborũ parua, sed rerũ permagna dissensio.

Decreta eius præcipuè sunt hæc.

In una uirtute positam beatam uitam, sed non beatissimam. 5. Tusc. & in Luc.

Omnia peccata non esse paria. in Luc.

Præter honestatem esse multa bona, præter turpitudinem multa mala, quæ & uenientia metuat sapiens necesse est, & uenisse doleat: in Luc. cætera ibidem quære.

Cleanthes.

Cleanthes, de quo in libris de Natura deorum multa dicuntur, cùm primum pugil fuisset, Athenas uenit, Zenonemq́; audiuit una cum Aristone, & quasi maiorum fuit gentiũ Stoicus, ingenio obtuso atq; hebeti, sed laborũ patiens, unde & Φρεάντλης Græcè dictus est, quòd noctu exhauriendis puteis uitam sibi quæreret. Librorum, quos scripsit contra uoluptatem, Cicero mentionẽ fecit, in quibus fingebat formam quandam & speciem deorum: tum diuinitatem omnem tribuebat astris.

Verbis

Verbis etiam pingere tabulam solebat. Iubebat eos, qui audierant, secum ipsos cogitare in tabula Voluptatem, pulcherrimo uestitu, & ornatu regali, in solio sedentem: praesto esse uirtutes, ut ancillulas, quae nihil aliud agerent, nullum suum officium ducerent, nisi ut Voluptati ministrarēt, & eam tantum ad aurem admonerent (si modò id pictura intelligi posset) ut caueret ne quid perficeret imprudens, quod offenderet animos hominum, aut quidquam, è quo oriretur aliquis dolor. Nos quidem aiunt uirtutes, sic natae sumus, ut tibi seruiremus, alius nihil negotij habemus. Caeterùm haec eum praecepisse ait Cicero.

Mundum Deum esse, tum totius naturae menti, atq; animo hoc nomē tribuendū, tum ultimum, & altißimū, atq; undiq; circumfusum & extremū, omnia cingentem atq; complexum ardorem, qui aether nominetur, Deū certißimum esse. 1. de Nat. deor.

Sidera esse ignea, idq; duorum sensuum testimonio confirmari, tactus & oculorum. 2. de Nat. deor.

Ali Solem, Lunā, reliquaq; astra aqs, alia dulcibus, alia marinis. Eamq; causam esse, cur se Sol referat, nec lōgius pgrediatur solstitiali orbe, uēq; brumali, ne lōgius discedat à cibo. 3. de Nat. deor.

Solem dominari, & rerum potiri. in Luc.

Magnam caloris uim inesse in omni corpore: quòd nullus sit tam grauis cibus, quin is die & nocte concoquatur: cuius etiam in reliquijs inest calor ijs, quas natura respuerit. 2. de Nat. deor.

Quatuor de causis in animis hominum informatas esse deorũ notiones. Vna est, quæ est suscepta ex præsensione rerum futurarũ. Altera ex perturbationibus tempestatum, & reliquis motibus. Tertia ex commoditate rerum, quas percipimus, et copia. Quarta ex astrorum ordine, cœliq́ constantia. 3. de Nat. deor. Vide hæc latius explicata. 2.

Nihil ratione esse diuinius. 1. de Na. deor.

Nihil esse malum, quod turpe non sit. 3. Tuscul.

Consolantis esse officium, malum illud omnino non esse, suadere. 3. Tusc.

Diogenes.

Diogenes Babylonius magnus & grauis Stoicus cum Carneade ad Senatum ab Athẽniensibus missus est legatus, quòd in eo principes temporibus illis singularis fuisse studia doctrinæ uiderent. Is fuit, qui diceret, artem se tradere bene disserendi, & uera & falsa dĩiudicandi, id est dialecticam. Quam qui audire

dire uellent, minam ut darent, fecerat. Chrysippea quædā retinuit, ut cum in eo libro qui de Minerua inscribitur, partū Iouis, ortumq; uirginis ad Physiologiam traducēs disiungit à fabula. Decreta uerò reliquit huiusmodi.

Aliquid prædici posse, duntaxat quali quisque natura, & ad quam quisq; maximè rem aptus futurus sit: cætera nullo modo posse sciri. 2. de Diuin.

Diuitias non eam modo uim habere, ut quasi duces sint ad uoluptatem, & ad ualetudinem bonam, sed etiam ut ea contineant: nō idem facere eas in uirtute, neq; in cæteris artibus, ad quas esse dux pecunia potest, contineri autem non potest. 3. de Finib.

Bonum esse id, quod esset natura absolutum. 3. de Finib.

Eudoxus.

Eudoxus, Aeschini filius, Cnidius, Platonis auditor, geometra, medicus, legumlator, & in Astrologia, iudicio doctißimorum hominū facilè princeps, in scriptis reliquit: Chaldæis (id est Mathematicis, qui ex natalicio sidere futura præsagiūt, quòd illa natio siderum obseruandorū peritißima fuerit) in prædictione, & in notatione cuiusq; uitæ ex natali die, minimè esse credendum. 2. de Diuin.

Hecato.

Hecatonis Rhodij, qui Panætium audiuit, & eũ sequutus de Officijs libros scripsit: præcepta sunt hæc. Vtilitate officiũ dirigi magis, quàm humanitate. 3. Off. & alio loco eiusdem libri.

Sapientis esse, nihil cõtra mores, leges, instituta facientẽ, habere rationẽ rei familiaris.

Alcmæo.

Alcmæo Crotoniates, & Pythagoræ auditor, primus (auctore Phauorino) de naturæ ratione scripsisse uidetur.

Soli, & Lunæ, reliquisq; sideribus, animoq; præterea diuinitatem dedit. 1. de Nat. deor.

Panætius.

Panætius Rhodius, Posidonij doctor, discipulus Antipatri, Stoicorum princeps fuisse dicitur. Quorum tamen decreta non omnia rata habebat. Nam & uim esse diuinandi dubitauit, & an mundus ad extremum ignesceret, humore consumto, non est ausus affirmare. Præterea Stoicorum tristitiam atq; asperitatem fugiens, nec acerbitatem sententiarũ, nec disserendi spinas probauit: fuitq; in altero genere mitior, in altero illustrior. Eum de Officijs Cicero, correctione quadam adhibita, potissimum secutus est. De Officijs enim

sine cōtrouersia disputauerat accuratissimè, ut est libro 3. Officiorum. Quos libros postea quàm edidit, triginta uixit annos. Scripsit etiam ad Q. Tuberonem, de dolore patiendo, quid esset, & quale, quantūq; in eo esset alieni, deinde quæ ratio esset perferendi. Platonem omnibus locis diuinum, sapiētissimum, sanctissimum, Homerum deniq; Philosophorum appellare solebat, à quo tamē de immortalitate animorū dissentiebat. Hæc præcepit:

Quidquid natum sit, interire: nasci autem animos, quod declarat eorum similitudo, qui procreantur: quæ etiam in ingenijs, non solū in corporibus appareat. Præterea, nihil esse quod doleat, quin id ægrum esse quoq; possit: quod autem in morbum cadat, id etiam interiturum: dolere autem animos: ergo etiam interire. 1. Tusc.

Animum ex igne constare. 1. Tusc.

Dubium esse an ad extremū omnis mundus ignescet. 2. de Nat. deor. uide Stoic.

Dubium esse an esset assentiendum & credendum auguriis, quæ cæteri Stoici putabāt uerissima. in Luc. & 1. de Diuin.

Prædicta Astrologorum reijcienda. Archelaum enim, & Cassandrum summos Astrologos illius ætatis, cum in cæteris Astrologiæ par

tibus excellerent, hoc prædictionis genere nõ usos. 2. de Diuin.

Tria genera exquirendi officij esse: Vnum, cùm deliberamus, honestum, an turpe sit: alterum, utile, an inutile: tertium, cùm hæc inter se pugnare uideantur, quomodo iudicãdum sit, qualis causa Reguli: cedere, honestum: manere, utile. De duobus primis, trib⁹ libris præclarè disseruit: de tertio pollicetur se deinceps scripturum, sed nihil scripsit. Quem locum Poßidonius in commentarijs breuiter tractauit. Vide 1. 2. Off. 16. Epist. ad Att. & 3. Off. ubi hic locus copiosè explicatur.

Solum bonum, quod honestum sit: quæ autem huic repugnent, specie quadam utilitatis, eorum neq; acceßione meliorem uitam fieri, neq; discessione. 3. Off.

Ea quæ uidentur utilia, cum honestis pugnare aliquando posse. Nihil uerò utile, quod non idem honestum: nec honestum, quod non idem utile sit. 3. Off.

Xenophon.

Xenophon Grylli filius, Atheniensis, Archicus, Philosophus fuit Socraticus, cuius uoce Musas quasi locutas ferunt. Aiunt eum

(au-

(auctore Laërtio) cum Socratem in angiporto quodam habuisset obuium, porrecto baculo transire prohibitum : percunctanti uerò, ubi nam uenirent, quæ humanis usibus sunt necessaria: cùm respondisset: rursus ubinam boni, ac probi homines fierent, hærente illo, dixisse Socratem : Sequere igitur, & disce: ex eo tempore Socratis auditor factus. Cuius sermones diligentissimè scripsit. In quibus (ait Cicero 1. de Natur. deor.) facit Socratem disputantem, formam Dei quæri non oportere : eundemq́ & solem & animum Deum dicere, & modo unum, tum autem plures Deos : quæ sunt iisdem in erratis ferè, quibus ea, quæ de Platone dicimus. Et Cic. 2. & 3. de Natur. deor. Quærit apud Xenophontem Socrates, unde animam arripuerimus, si nulla fuerit in mundo. Cyrum scripsit, non ad historiæ fidem, sed ad effigiem iusti imperij (ut est in 1. Epist. ad Quintum fratrem.) Cuius summa grauitas ab illo philosopho cum singulari comitate coniungitur. Quos quidem libros non sine causa Africanus de manibus ponere non solebat. Nullum est enim prætermissum in ijs officium diligentis & moderati imperatoris. Persarum in ijs uirtus exponitur: quos negat

adpanem adhibere quidquam præter nasturcium. Somnia scribuntur, quorum exitus mirabiles extiterunt. Cyrum uerò antiquißimo sepulturæ genere uti facit: redditur enim terræ corpus: & ita locatum, ac situm, quasi operimento matris obducitur. Cæterùm de eo sermone, quem Cyrus moriens habuit, de Oeconomico libro, de Agriculturæ laudibus: lege Ciceronem de Senectute. Quali autem sermone usus sit, idem explicat in Oratore his uerbis: Nactus sum qui Xenophontis similem esse se cuperet. Cuius sermo est ille quidẽ melle dulcior, sed à forensi strepitu remotißimus. & 2 de Orat. À philosophia profectus princeps Xenophon Socraticus ille, post ab Aristotele Callisthenes comes Alexandri, scripsit historiam: & hic quidem Rhetorico penè more, ille autem superior leniore quodam sono est usus: & qui illum impetum Oratoris non habeat, uehemens fortasse minus, sed aliquanto tamen est, ut mihi quidẽ uidetur, dulcior. Idem Cicer. eius has sententias Latinè expreßit.

Esse aliquam mentem existimandum ex ipsa hominum solertia, & eam quidem acriorem, & diuinam: unde enim hanc homo arripuit, si nulla fuerit in mũdo? 3. de Nat. deor.

Ani-

Animum esse immortalem, & eum non apparere, sed ex ijs rebus quas gerit, intelligi: qui cum omni admistione corporis libera tus, purus & integer esse cœperit, tum sapientem fore. de Senectute.

Deos hanc mundi pulchritudinem tueri & regere. Ibidem. Eosdem labores non esse æque graues imperatori, & militi: quòd ipse honos laborem leuiorem faceret imperatorum. 2. Tusc.

Democritus.

Democritus Milesius, Xerxe rege magos quosdam, & Chaldæos audiuit, similisq́ philosophus quinque certaminum uictori habitus est. Erat enim uere πένταθλος, *id est, quinque certaminum, cum in Physicis, philosophia morali, mathematica, liberalium disciplinarum rationibus, artiumq́ omnium cognitione excelleret. Itaq́ fere ab omnibus, præterquam ab Epicuro, qui tamen Democriti fontibus hortulos suos irrigauerat, laudatus est. De quo sic Cic. in Luc. Quid loquar de Democrito? quem cum eo conferre possumus, non modo ingenij magnitudine, sed etiam animi? qui ita sit ausus ordiri: Hæc loquor de uniuersis. Nihil excipit, de quo non profiteatur. Quid enim esse potest extra*

uniuersa? Quis hunc philosophum non anteponit Cleanthi, Chrysippo, reliquisq́; inferioris ætatis? qui mihi, cum illo collati, quintæ classis uidentur. Pauca de uirtute dicit, nec ea ipsa enucleate. In omnibus uerò libris, quos multos emisit, sermone usus est eleganti, & ornato. Atomorum auctor fuit, siue etiam Leucippus, ut est apud Laertium, & 1 de Natur. Deorum. Quas sic est amplexatus, ut accipere maluerit, necessitate omnia fieri, quàm ab iis naturales motus euellere. Posuitq́; uim quandam motus impulsionis, quam plagam ille appellat, Græce Plutarchus γένος τῆς κινήσεως κατὰ πληγὴν. Gloriabatur, à gloria se abfuisse. Veni, inquit, Athenas, neque me quisquam ibi agnouit. Denique cum putaret impediri animi aciem adspectu oculorum, dicitur oculis se priuasse, ut quam minime animus à cogitationibus abduceretur. Patrimonium neglexit, agros deseruit incultos, nihil aliud quærens nisi beatam uitã. Itaq; cum alij sæpe, qđ esset ante pedes, non uiderent, ille per infinitatem, quam ἀπειρίαν uocant, omnem peregrinabatur, ut nulla in extremitate consisteret. Sententiæ illius, & p̃cepta sunt eiusmodi.

Naturam in profundo ueritatem penitus ab-

abstrusisse. In Luc. Animum, cœlum, terras, omnia denique atomis, id est, leuibus & rotundis corpusculis, indiuiduis propter soliditatem, nulla cogente natura, sed cōcursu quodam fortuito, effici. Corpuscula autem illa, quædam leuia, alia aspera, rotūda alia, partim autem angulata, curuata quædam, & quasi adunca. 1. de Nat. Deor. 1. Tusc. & 1. de Fin. nulla censet esse Cicero. Innumerabiles esse mundos, & quidem sic quosdam inter se se non solū similes, sed undique perfecte & absolute ita pares, ut inter eos nihil prorsus interſit: omnes uerò oriri, & interire quotidie. In Luc. & 1. de Finib.

Simulacra, et imagines diuinitate p̄ditas inesse uniuersitati rerū: tum principia, mentemque, quæ sunt in eodē uniuerso, Deos esse: tum animantes imagines, quæ uel prodesse nobis solent, uel nocere: tum ingentes quasdam imagines, tantasque, ut uniuersum mundum complectantur extrinsecus. Quod uidetur, Deos esse, quodā pacto negare. 1. & 2. de Nat. Deor. & alio loco: Imaginesque earūque circuitus in Deorum numero refert: tum illam naturam, quæ imagines fundat, ac mittat, tum scientiam, intelligentiámque nostram: imagines denique illas, à corporibus soli-

solidis, & à certis figuris fluere.

Nihil esse sempiternum, quia nihil semper suo statu maneat. 3. de Nat. Deor.

Animos in somniando, externa & aduenticia uisione pulsari. 2. de Nat. Deor.

Omnia ita fato fieri, ut id fatum uim necessitatis afferat. de Fato.

Ex habitu & colore extorum hostiarum declarari pabuli & earum rerum, quas terra procreat, uel ubertatem, uel tenuitatem: salubritatem etiam, aut pestilentiam. 1. & 2. de Diuin.

Sine inflammatione animorum, & sine quodam afflatu quasi furoris, poetā magnū esse non posse. 1. de Diuin. & de Orat.

Ante lucem gallos cantare, hac de causa, depulso enim de pectore, & in omne corpus diuiso, & modificato cibo, cantus edere quiete satiatos: qui quidem silentio noctis, ut ait Ennius, fauent faucibus: rursus cantu, plausuq́; premunt alas. 2. de Diuin.

Atomos in infinito inani, in quo nec summum, nec infimum, nec medium, nec ultimum, nec extremum sit, ita fieri, ut concursationibus inter se cohærescant, ex quo efficiantur ea, quæ sint, quæq́; cernantur omnia: eumq́; motum atomorum nullo à principio,

cipio, sed ex æterno tempore intelligi conuenire. 1. de Finibus.

Cõcursionem autem illam fortuitam concalefactam, & spirabilem, id est animalem esse. 1. Tusc.

Beatam uitam in rerum cognitione ponendam: quam ex inuestigatione naturæ cõsequimur, ut simus bono animo. Id enim ille summum bonum εὐθυμίαν, & sæpe ἀκακίαν appellabat, id est securitatem, quæ est animi tanquam tranquillitas, & animus terrore liber. 1. & 5. de Finibus.

Cyrenæi, uel Cyrenaici, & Annicerij.

Cyrenæorum, qui minimè contemti philosophi fuerunt, Philosophia ab Aristippo Cyrenæo manauit: Cùm finem bonorum esse dicerent uoluptatem corporis, id est, iucundum quẽdam & leuem motum ad intimos sensus permanantem, & quasi in medullis corporis pruriẽtem, iudicium ueritatis in intimis sensibus posuerunt. Negarunt enim esse quidquam quod percipi possit extrinsecus: ea se sola percipere, quæ tactu intimo sentiant, ut dolorem & uoluptatem: neque se quo quid colore, aut quo sono sit, scire, sed tãtum sen-

sentire affici se quodam modo. In Luc. 2. de Fin. sic ait 3. Offic. Ab Aristippo Cyrenaici, et Annicerij philosophi nominati, omne bonum in uoluptate posuerunt: uirtutemq; censuerunt ob eam rem esse laudandam, quòd efficiens esset uoluptatis. Quibus obsoletis floret Epicurus, eiusdem fere adiutor auctorq; sententiæ: neq; tamen cum Cyrenaicis de ipsa uoluptate consentiens. 2. Acad. Item.

Non omni malo ægritudinem effici, sed in sperato, nec opinato malo. 3. Tusc.

In tactu doloris aut uoluptatis & eo quidem interiore, ueri esse iudicium, quia sentiatur. In Luc.

Anacharsis.

Anacharsis Scythes Gnuri filius, Caduidæ Scytharum regis frater, Soloni amicus, dixit uitem uuas tres ferre, primam uoluptatis, secundam ebrietatis, tertiam mœroris, & tantum abesse à morte qui nauigat, quanta est nauis crassitudo. Pro nihilo pecuniam duxit. Illius Epistola fertur his uerbis apud Ciceronem 5. Tusc.

Anacharsis Hannoni salutem. Mihi amictus est Scythicum tegmen, calceamentū solorum callum, cubile terra, pulmentum fa-

fames: lacte, caseo, carne uescor. Quare ut ad quietum me licet uenias. Munera autem ista, quibus es delectatus, uel ciuibus tuis, uel diis immortalibus dona.

Anaxagoras.

Anaxagoras Aegesibuli filius, Clazomenius, ab Anaximene accepit disciplinam. Maxima fuit & grauitatis & ingenij gloria, quem ferunt nuntiata morte filij dixisse: sciebam me genuisse mortalem. Quæ uox declarat iis esse hæc acerba, à quibus non fuerunt cogitata. Et cum Lampsaci moreretur, quærentibus amicis, uellétne Clazomenas in patriam, si quid accidisset, afferri: Nihil necesse est, inquit. Vndique enim ad inferos tantundem uiæ est. Commentus est ὁμοιομερείαν *id est, similitudinem partium, ueluti syluam, & materiam, Græce* ὕλην, *rerum omnium gignendarum. Censuit enim in singulis rebus particulas inesse similes infinitas, ex quibus compositæ sint, resq; omnes gigni & interire congregatione & seiunctione particularum similium. Vnde sui operis principio de mente diuina ita scripsit: Oĩa simul erãt: Deinde, Mentis infinitæ ui ac ratione omniũ rerũ descriptio, & modus designatus*

tus est,& confectus. Contra quod disputat Aristot.4.primæ Philosophiæ, & Cicer.1.de Natur.Deorum.

Huius igitur decreta sunt hæc.

Materiam esse infinitam, sed ex ea particulas similes inter se, minutas: eas primum confusas,postea in ordinem adductas mente diuina.In Luc.& 1.de Nat.Deor.

Niuem esse nigram, quòd perspicuum sit aquam nigram esse, unde illa concreta sit: & quòd oculi continenter in ea defixi, mutentur, & se colorem nigrum cernere credant.In Luc.

Anaxarchus.

Anaxarchus Abderites Democritius fuit. Qui cùm in manus Nicocreontis tyranni incidisset,cui in conuiuio coram Alexandro iniuriam fecerat,nullum genus supplicij deprecatus est,neque recusauit. Cum enim mortuo Alexandro eum in ὅλμον *iniecisset Nicocreon,iußissetq́; ferreis malleis cædi, ingeminauit: Tunde,tunde Anaxarchi uasculum,nam Anaxarchum nihil teris.Iubente uerò illo ipsius præcidi linguam,aiunt præcisam dentibus in eius faciem conspuisse,tādem excarnificatum esse. Cic.2.Tusc.& 3.de Nat.Deor.Laertius de uita Philosoph.*

Ana-

Anaximander.

Anaximander Milesius, summus fuit in Physicis. Is primus gnomonem inuenit, ὡροσκοπεῖον fabricatus est, ac primus terræ mariśq; circuitus descripsit, & sphæram construxit. Cicero ait primo de Diuinatione ab eo monitos fuisse Lacedæmonios, ut urbem ac tecta linquerent, armatique in agro excubarent, quòd terræ motus instaret, tum, cùm & urbs tota corruit, & ex monte Taygeto, extrema montis quasi puppis euulsa est. Huius est hæc opinio.

Natiuos esse Deos, longis interuallis orientes, occidẽtesq;, eosq; innumerabiles esse mundos. 1. de Nat. Deor.

Infinitatem naturæ esse, è qua omnia gignerentur. In Luc.

Anaximenes.

Anaximenes Euristrati filius, Milesius, Anaximandri auditor, censuit aera Deum, eúmque gigni, esséque immensum, & infinitum, & semper in motu. primo de Natura Deorum. sed ea quæ ex eo orirentur, definita: gigni autem terram, aquam, ignem, tum ex iis omnia. In Luc.

Antipater.

Antipater Tyrius, Stoicus fuit, summus

in dialecticis, sed opiniosissimus. Reprehensus est, quòd multus fuisset in disputando cũ Academicis, praesertim cũ id minus subtiliter faceret, & nulla ratio esset cum ijs, qui nihil probarent, disputandi. Duos libros scripsit de Diuinatione, in qua probanda, qua ratione usus sit, uide primùm de Diuinatione. Athenis tandẽ mortuus est. Censuit uerò duo praecepta a Panaetio praetermissa, ualetudinis curationem, & pecuniae. 2. Offic.

Antisthenes.

Antisthenes Antisthenis filius, Atheniẽsis fuit, homo acutus magis, quàm eruditus. Ab eo, qui patientiam & duritiem in Socratico sermone adamaret, Cynicorum primum, deinde Stoicorum, paene Cynicorum, secta profecta est. Quorum ratio tota est eijcienda: est enim inimica uerecundiae, sine qua nihil rectum esse potest, nihil honestum. Reprehendunt enim & irrident, quòd ea, quae turpia re non sint, uerbis flagitiosa dicantur: illa autem, quae turpia sunt, nominibus appellentur suis, ut est primo Officiorum. Inter caetera in eo libro, qui Physicus inscribitur, censuit:

Populares deos multos, naturalem unum esse. 1. de Nat. Deor.

Archi-

Architas Tarentinus.

Architas Tarentinus, magnus in primis, & præclarus uir fuit. Eum quarta Tuscula. Cicero ait, cum uillico factus esset iratior, dixisse: Quo te modo accepissem, nisi iratus essem. Et de amicitia: Verum illud est, quod à Tarentino Archita dici solitum, nostros senes commemorare audiui, ab alijs senibus auditum: Si quis cœlum ascendisset, naturamq; mundi, & pulchritudinē siderum perspexisset, insuauem illam admirationem ei fore, quæ iucundissima fuisset, si aliquem, cui narraret, nō habuisset. Nearchus Tarētinus se à maioribus natu accepisse dicebat, illum oratione, quæ est in libro de Senectute, persuadere uoluisse: Nullam capitaliorem pestem, quàm corporis uoluptatem hominibus à natura datam. Cui sermoni interfuit Plato Atheniensis, quem Tarentum uenisse L. Aemilio, Appio Claudio Consulibus, eodem loco ait Cicero.

Archimedes.

Archimedes ex Syracusana urbe, summo ingenio fuit ac disciplina, in quo tantus studij ardor fuit, ut dum in puluere quædam scriberet attentius, ne patriam quidem à Marco Marcello captam esse senserit: cuius

interitum princeps tulit molestè. Eum arbitrantur, ait Cicero secundo de Natura Deorum, plus ualuisse in imitandis sphæræ cõuersionibus, quàm naturam in efficiendis: præsertim cum multis partibus sint illa perfecta, quàm hæc simulata, solertius. Et prima Tusculana. Cum Archimedes lunæ, solis, quinque errãtium motus in sphæram illigauit, effecit idem, quod ille, qui in Timæo mundum ædificauit, Platonis Deus, ut tarditate & celeritate dißimilimos motus una regeret conuersio. Quòd si in hoc mundo fieri sine Deo non potest, ne in sphæra quidem eosdem motus Archimedes sine diuino ingenio potuisset imitari. Idem dicit quinta Tusculan. se cum Quæstor esset, ignoratum à Syracusanis, cum esse omnino negarent, septum undique & uestitum uepribus & dumetis indagasse sepulcrum. Tenebam enim, inquit, quosdam senariolos, quos in eius monumẽto esse inscriptos acceperam: qui declarabant in summo sepulchro sphæram positam esse cum cylindro. Censuit:

Multis partibus solem, qui Deus est, maiorem esse quàm terram. In Luc.

Aristoxenus.

Aristoxenus Philosophus ætatẽ fere cõsumsit

ſit in Muſicis. Putauit animum eſſe Harmoniam: intẽſionem enim ipſius corporis quandam, uelut in cantu & fidibus ſic ex corporis totius natura, & figura uarios modos cieri, tanquã in cantu ſonos. 1. Tuſc. ubi refellitur.

Ariſtippus.

Ariſtippus Cyrenaicus, cum Socratis famam communi omnium ſermone in dies per crebreſcere uideret, Athenas ad eum audiendum profectus eſt. Qui cum ſe totum uoluptati dediſſet, quaſi animũ nullum haberet, uoluptatem ſummũ bonum poſuit. Ob eamq́; cauſam Xenophon in eum ſcripſit contra uoluntatem, eamq́; Socrati diſputationem tribuit. Plato quoq; in libro de animo illum conuicijs agit. Non erubuit, cum eſſet ei obiectũ, habere eum Laida: Habeo, inquit, Laida, nõ habeor à Laide: Cicero in Epiſt. & 2. de Fin. Omnes ſimplices ſententias eorum, in quibus nulla eſt uirtutis adiunctio, omnino à philoſophia ſemouendas putabo. Primum Ariſtippi, Cyrenaicorúmque omnium, qui ab eo ſunt profecti: quos non eſt ueritum, in ea uoluptate, quæ maxima dulcedine ſenſum moueret, ſummum bonum ponere, contemnentes iſtam uacuitatẽ doloris. Hi non uiderunt, ut ad curſum equum, ad arandũ bouẽ,

ad indagandum canem, sic hominem ad duas res, ut ait Aristoteles, intelligendum & agendum esse natum, quasi mortalem Deum: contraq́, ut tardam aliquam, & languidam pecudem ad pastum, & procreandi uoluptatem hoc diuinum animal ortum esse uoluerunt: quo nihil mihi uidetur esse absurdius. Atq, hæc contra Aristippũ, qui eam uoluptatem non modo summam, sed solam etiam dicit, quam omnes unam appellamus uoluptatem. Idq́, ex eo intelligi uolebat, quòd omne animal, simulatq, natum est, uoluptatem adsciscat, ut summum bonum, & reprobet dolorem, ut summum malum. Indolentiam autem & doloris uacuitatem (quã tuetur Epicurus) non putabat uoluptatem, ut dixi, neque priuationem uoluptatis, dolorẽ, quia uoluptas & dolor uersantur in aliquo motu iucundo aut aspero. Sapientem uerò & beatum esse, non qui sit in perpetuis uoluptatibus, sed qui maiore ex parte iis fruatur. In Luc. 1. & 2. de Fin. 2. Tusc. 3. Offic. & 3. de Orat.

Aristonei.

Tres potissimum sectæ à scholis explosæ, & eiectæ fuerunt, Herilliorum, Megaricorum, siue Eretriacorum, & Aristoneorum, siue Pyrrhoneorum. Aristonei ab Aristone

Chio

Chio profecti sunt. Is cum Zenonis fuisset auditor, reprobauit illa, quæ ille uerbis, nihil esse bonum, nisi uirtutem: neq; malum, nisi quod uirtuti esset contrarium. Rerum delectum nullum ponebat, exæquabat omnia. De quo sic est apud Ciceronem quarto de Finib. Ex his angustiis ista euaserunt deteriora, quàm Aristonis: illa tamen simplicia, uestra uersuta. Roges enim Aristonem, bonáne ei uideantur hæc, uacuitas doloris, diuitiæ, ualetudo? neget. quid, quæ cõtraria sunt his, maláne? nihilo magis. Zenonem roges? respondeat totidem uerbis. Admirantes quæramus ab utroque, quónam modo uitam agere possimus, si nihil interesse nostra putemus: ualeamus, ægrine simus, uacemus, an cruciemur dolore: frigus, famẽ propulsare possimus, nécne possimus. Viues, inquit Aristo, magnifice atq; præclare: quod erit cunque uisum, ages, nunquam angere, nunquam cupies, nunquam timebis. Quid Zeno? portenta hæc esse dicit. Item secundo de Finibus. Aristoni & Pyrrhoni uisum est, ut inter optime ualere & grauissime ægrotare nihil prorsus interesset. Contra quos recte iam pridem desitum est disputari. Dum enim in una uirtute sic omnia esse uoluerunt, ut eam rerũ sele-

ctionem expoliarent, nec ij quidquam, aut unde oriretur darent, aut ubi niteretur, uirtutem ipsam, quam amplexabãtur, sustulerunt. Hoc tenuit.

Formam Dei intelligi non posse, neque in diis sensum esse: dubium etiam omnino Deus animans nec ne sit. 1. de Nat. Deor.

Summum bonum in his rebus neutram in partem moueri, quæ ἀδιαφορία ab ipso dicitur. In Luc. Quo uerbo significatur indifferentia, ut si quis indifferenter uixerit & promiscue inter uirtutem & uitium, nulla habita ratione huius uel illius. Vide 2.3.4.& 5. de Fin. & 1. Offic.

In mediis ea momenta, quæ Zeno uoluit, nulla esse. In Luc.

Esse quædam, quibus commotus sapiens, appeteret aliquid, quod cuique in mentem incideret, & quodcunque tandem occurreret. 4. de Finibus.

Nihil differre aliud ab alio, nec esse res ullas præter uirtutes & uitia, inter quas quidquam omnino interesset. quarto de Finib.

Præter uitia atque uirtutes, nullam esse rem aut fugiẽdam, aut expetendã. 5. de Fin.

Nocere audientibus philosophos eos qui bene dicta male interpretarentur: posse enim

nim aſotos ex Ariſtippi, acerbos è Zenonis ſchola exire.3.de Nat.deor.

Bias.

Bias unus è ſeptem ſapientibus habitus eſt. Cuius illa eſt ſententia: Nullam uocem inimiciorem amicitiæ potuiſſe reperiri, quàm eius, qui dixiſſet, ita amare oportere, ut aliquando eſſes oſurus.de Amic.uide Apoph.

Callipho.

Calliphonem reprehendit Cic.3.Officiorũ, qui diremturum ſe ſectarum controuerſiam putauerat, ſi cum honeſtate uoluptatem, tanquam cum homine pecudem copulauiſſet: quanquam honeſtatem ſic eſt complexus, ut omnia quæ ſine ea ſunt, longè ac retrò ponenda cenſuerit. Hoc igitur unum eius perpetuũ decretum fuit: Ad honeſtatem adiungi uoluptatem oportere.2. & 3.de Finib. & 5. Tuſc. ubi omnium ferè ſententias de ſummo bono numerat. Quæramus, inquit, unamquanq; reliquorum ſententiam, ſi fieri poteſt, ut hoc præclarum quaſi decretum beatæ uitæ poſſit omnium ſententijs & diſciplinis conuenire. Sunt autem hæ de Finib. ut opinor, retentæ, defenſæq; ſententiæ. Primum ſimplices quatuor: Nihil bonum niſi honeſtum, ut Stoici:

Nihil bonum, nisi uoluptatem, ut Epicurus: Nihil bonum, nisi uacuitatem doloris, ut Hieronymus: Nihil bonũ, nisi naturæ primis bonis aut omnibus, aut maximis frui, ut Carneades contra Stoicos differebat. Hæc igitur simplicia: illa mista, tria genera bonorum, maxima animi, secũda corporis, externa tertia, ut Peripatetici: nec multo ueteres Academici secus. Voluptatem cũ honestate Clitomachus & Callipho copulauit. Indolentiã autem honestati Peripateticus Diodorus adiunxit. Hæ sunt sententiæ, quæ stabilitatis aliquid habeant. Nam Aristonis, Pyrrhonis, Herilli, nonnullorumq́ aliorum euanuerunt.

Clitomachus.

Clitomachus homo & acutus ut Pœnus & ualde studiosus ac diligẽs, usq; ad senectutem cum Carneade præceptore fuit, cui tandem successit in Academia, & eius dicta maximè illustrauit. Scripsit librũ ad C. Lucilium poëtam, cum scripsisset ijsdem de rebus ad L. Censorinũ, eum qui cum M. Manilio Consul fuit: in quo hæc sunt, auctore Cic. in Luc. Academicis placere esse rerum eiusmodi dissimilitudines, ut aliæ probabiles uideantur, aliæ contra. Id autem non esse satis, cur alia percipi posse dicas, alia non posse: propterea quòd multa

ta falsa probabilia sint, nihil autem falsi perceptum & cognitum poßit esse. Itaq; ait uehementer errare eos, qui dicunt ab Academicis sensus eripi, à quibus nunquam dictum sit, aut colorem, aut saporem, aut sonum nullum esse. Illud sit disputatum, non inesse in his propriam, quæ nusquam alibi esset, ueri & certi notam. Quæ cum exposuisset, adiungit, dupliciter dici assensus sustinere sapientem: uno modo, cum hoc intelligatur, omnino eum nulli rei assentiri: altero cum se à respondendo, ut aut probet quid, aut improbet, sustineat: ut neq; neget aliquid, neque aiat. Id cum ita sit, alterum placere, ut nunquã assentiatur: alterum tenere, ut sequens probabilitatem, ubicunq; hæc aut occurrat, aut deficiat, aut etiam aut non respondere poßit: nec, ut placeat, eum, qui de omnibus rebus contineat se ab assentiendo, moueri tamen, & agere aliquid, reliquit eiusmodi uisa, quibus ad actionẽ excitemur. Itẽ ea q̃ interrogati in utranq; partẽ respõdere possumus, sequẽtes tantũmodo quod ita uisum sit, dum sine assensu: neq; tamẽ omnia eiusmodi uisa approbari, sed ea, quæ nulla re impedirentur. De Carneade scripsit ita: Herculis quendã laborẽ exantlatũ à Carneade, qđ, ut ferã & immanẽ belluã, sic
ex

ex animis nostris assensionem, id est, opinationem & temeritatē extraxisset. Item, Carneadem dicere solitum, Nusquam se fortunatiorem, quàm Præneste, uidisse Fortunam. Misit etiam euersa Carthagine librum consolandi causa ad captiuos ciues suos. In eo est disputatio scripta Carneadis, quam ait se in commentarium retulisse, cùm ita positum esset, Videri fore in ægritudine sapientem, patria capta: quæ cōtradixerit Carneades, scripta sunt. Tenuit Academiam cum Carneade & Aeschine: & uoluptatem cum honestate copulauit.

Cratippus.

Cratippus, Ciceronis familiaris, eiusq; filij præceptor, quem summis Peripateticis parem iudicabat, summa auctoritate & eruditione uir fuit: Athenisq; docuit, illius ætatis philosophorum princeps. De quo scriptum ita est 16. Epist. Famil. Cratippo me scito non ut discipulum, sed ut filium esse coniunctissimū: nam cùm & audio eum libenter, tum etiam eius propriam suauitatem uehementer amplector, &c. Ex ipsis exemplis uerarum uaticinationum & somniorum solebat rationem concludere hoc modo: Si sine oculis non potest extare officium & munus oculorum: possunt autem

autem aliquando oculi non fungi suo munere: qui uel semel ita est usus oculis, ut uera cerneret, is habet sensum oculorum uera cernentium. Item igitur, si sine diuinatione non potest & officium & munus diuinationis extare, potest autem quis, cùm diuinationem habeat, errare aliquando, nec uera cernere: satis est ad cōfirmandum diuinationem, semel ita esse aliquid diuinatum, nihil ut fortuito cecidisse uideatur. Sunt autem eius generis innumerabilia: esse igitur diuinationem confitendum est. Censuit etiam animos hominū quadam ex parte extrinsecus esse tractos, & haustos. Vide 1. & 2. de Diuin. 1. 2. & 3. Offic. Brut.

Critolaus.

Critolaus, qui simul cū Diogene fuit, Aristotelem imitari uoluit: & quidem est grauitate proximus, & redundat oratio: attamen in patrijs institutis manet, ut ait Cicero 2. de Orat. & 5. de Finib. Is cùm in alteram lancem libræ animi bona imponeret, in alteram corporis & externa: tantum propendere illam boni lancem putabat, ut terram et maria deprimeret. 5. Tusc.

Diagoras.

Diagoras Melius, omnino deos esse negabat:

bat: hinc Atheos dictus est, 1. & 3. de Na. deo.

Dicæarchus.

Dicæarchus Peripateticus magnus fuit, & copiosus, Aristoxeni æqualis & condiscipulus. Ei magna controuersia fuit cum Theophrasto, quod ille id uitæ genus, quæ in actione posita est, longè omnibus anteponeret: hic autem quæ in contemplatione. Multa scripsit: in primis tres libros, qui Lesbiaci uocantur, quòd Mytilenis sermo haberetur. Primo libro multos loquentes facit duobus Pherecratem quendam Phthiotam senem, quem ait à Deucalione ortum, differentem inducit, nihil esse omnino animum, & hoc essenomen totum inane, frustráq; animalia & animantes appellari: neq; in homine inesse animum, uel animam, nec in bestia: uimq; omnem eam qua uel agamus quid, uel sentiamus in omnibus corporibus uiuis æqualiter esse fusam, nec separabilem à corpore esse, quippe quæ nulla sit, nec sit quidquam nisi corpus unum, & simplex, ita figuratum, ut temperatione naturæ uigeat, & sentiat. Ad quod credendum inductus est: quia difficilis erat animi, quid aut qualis esset, intelligentia. Scripsit etiam & de interitu hominis, ut est 1. Offic. & duo genera diuinandi probauit.

uit. Vide 1. Tusc. 1. de Natur. deor. & 2. Epist. ad Attic.

Dinomachus.

Dinomachus uoluptatem adiunxit ad honestatem. 5. de Finib. & 3. Offic.

Diodorus.

Diodorus fuit ualens, ut ait Cicero, dialecticus. Is enim fuit, quem Laërtius cognomento Chronum appellatum fuisse dicit, philosophus ex Megarica schola eorum, qui ἐριστικοὶ & διαλεκτικοὶ dicebantur. Cuius dialectica imbutus Arcesilas fuerat. Is cùm cæcus esset, in philosophia multo etiam magis assiduè, quàm antea uersabatur, & cum fidibus Pythagoreorum more uteretur, cumq; ei libri noctes & dies legerentur, quibus in studijs oculis non egebat, tamen quod sine oculis fieri posse uix uidetur, Geometriæ munus tuebatur, uerbis præcipiens discentibus, unde, quo quamq; lineam scriberent. Huius sententia aduersus Stoicos utebantur Academici περὶ δυνατῶν, ut uera ex æternitate futura esset. sine naturaliũ causarũ antecessione: ac proinde Carneades diuinationem esse negabat. Censebat enim Diodorus, quod futurũ dicũt, esse necessarium, à Chrysippo dissentiens, qui

qui uoluit fieri posse, ut non eueniat. Vide Ciceronem de Fato, & Chrysip.

Díog.Apolloniates.

Diogenes Apolloniates, qui Anaxagoræ temporibus uixit, summus fuit in Physicis, Anaximenis auditor. Aëre utitur Deo. 1. de Natur. deor.

Diogenes Cynicus.

Diogenes Cynicus, improborum prosperitates, secundasq́; res redarguere uim omnem deorũ ac potestatẽ dixit. 1. & 2. de Nat. deor.

Dionys. Heracleotes.

Heracleotes Dionysius, cum à Zenone fortis esse didicisset, à dolore deuictus est. Nam cum ex renibus, uel (ut est 5. de Finib.) oculis laboraret, ipso in eiulatu clamitabat, falsa esse illa, quæ antea de dolore ipse sensisset. Quem cum Cleanthes condiscipulus rogaret: Quænam ratio eum de sententia deduxisset, respondit: Quia cum tantum operæ philosophiæ dedissem, dolorem tamen ferre non possem, satis esse argumenti, malum esse dolorem. Plurimos annos in philosophia consumpsi, nec ferre possum: malum est igitur dolor. 2. Tuscul.

Empe-

Empedocles.

Empedocles Agrigentinus, Parmenidis æmulus, uel, ut Hermippo placet, Xenophanis, carminibus Græcis uaticinatus est, & Physicen docuit. Qualia sunt:

Quæ in rerum natura, totoq́ mundo constant, quæq́ mouentur, ea contrahere amicitiam, dissipare concordiam. de Amic.

Quatuor naturas, ex quibus omnia constarent, diuinas esse. 1. Tusc.

Animũ, cordi suffusum sanguinẽ. 1. Tusc.

Abstrusa esse omnia, nihil nos sentire, nihil cernere, nihil omnino, quale sit, posse reperire. in Luc.

Epicharmus.

Epicharmi Siculi hæ sunt sententiæ: Neruos atq́ artus esse sapientiæ, non temere credere: de petitiõe cõsulatus, unde illud 1. Epist. ad Atticum. Νῆφε, καὶ μέμνησο ἀπιστεῖν, ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν. *Item illud, Emori nolo, sed me esse mortuum, nihili æstimo. 1. Tusc.*

Heraclides.

Heraclides Ponticus, Platonis, Speusippi, Aristotelis, Pythagoreorumq́ auditor fuit & discipulus: In libris suis scripsit, modo mundum, tum mentem diuinam esse: errantibus

etiam Stellis diuinitatem tribuit sensuq; Deum priuat, & eius formam mutabilem esse uult: ibidemq; rursus terram et cœlum refert in deos. 1. de Nat. deor.

Heraclitus.

Heraclitus Physicus, cognomēto σκοτεινὸς, de natura consultò dixit obscure: nc, quid diceret, intelligere quisquam posset. Dixit uniuersos Ephesios esse morte multandos, quòd cum principem suum Hermodorum ciuitate expellerent, ita locuti sunt, Nemo de nobis unus excellat: sed si quis extiterit, alio in loco, & apud alios sit. 5. Tusc. Censuit ignē esse principium. in Luc. & animum ignem.

Herillus.

Herillus Zenonis auditor, scientiam summum bonum esse defendit, nec rem ullam aliam per se expetēdam. in Luc. 2. & 4. de Fin.

Hieronymus.

Hieronymus Rhodius, cum Peripatetici, quos sequi uideri uolebat, in ijs rebus, quæ secundum naturam essent, posuissent, non dolere, hoc summū bonū esse dixit. 2. et 5. de Fin.

Metrodorus.

Metrodorus Chius, penè alter Epicurus fuit: sapientis nomē haud professus: sed cùm

ita appellaretur ab Epicuro, tantum beneficium repudiare noluit. Beatum esse, describit ijs ferè uerbis: Cùm corpus bene constitutum sit, & sit exploratum ita futurum. 2. de Fin. in Luc. 3. Offic. & 2. & 5. Tusc.

Parmenides.

Parmenides Xenophanis discipulus, duas in Physicis causas statuit, ignem & terram, & illum quidem opificis, hanc uerò materiæ rationem habere censuit. in Luc. & 1. de Nat. deorum.

Commenticium quiddam coronæ similitudine effecit: Stephanen appellat, continentē ardore lucis orbem, qui cingit cœlum, quem appellat Deum: in quo neq; figuram diuinā, neq; sensum quisquam suspicari potest. Multaq; eiusdem monstra, quippe qui bellum, qui discordiam, qui cupiditatem, cæteraq; generis eiusdem ad Deum reuocat: quæ uel morbo, uel somno, uel obliuione, uel uetustate delentur. Eademq; de sideribus.

Perseus.

Perseus Zenonis auditor, eos dicit esse habitos deos, à quib. magna utilitas esset ad uitæ cultū inuenta, ipsasq; res utiles, & salutares, deorū esse uocabulis nūcupatas: ut ne hoc

quidem diceret, illa inuenta eſſe deorum, ſed ipſa diuina.1.de Nat.Deor.

Pherecydes.

Pherecydes Scyrius, Pythagoræ magiſter, primum quòd literis extet, dixit, animos hominum eſſe ſempiternos. Is cum uidiſſet aquam è iugi puteo hauſtam, terræ motum dixit futurum.1.Tuſc.1.& 2.de Diuin.

Pittacus.

Pittacus, qui in ſeptem ſapientibus eſt numeratus, omnino accedere quenquam uetabat in funus aliorum.1.de Legib.

Piſiſtratus.

Piſiſtratus primus Homeri libros, confuſos antea, ſic diſpoſuiſſe dicitur, ut nunc habemus.3.de Orat.

Poſidonius.

Poſidonium fere ſemper, cum de eo loquitur, familiarem ſuum appellat Cicero. De Nat.Deorum libros ſcripſit, in quorum quinto diſſeruit, nullos eſſe Deos Epicuro uideri, &c. Præterea quinq; de diuinatione: & ſphæram effecit, cuius ſingulæ conuerſiones idem efficiebant in Sole & Luna, & in quinq; ſtellis errantibus, quod efficitur in cælo ſingulis

diebus

diebus & noctibus. Censuit uerò:

In natura signa quædam esse rerum futurarum.1.Offic.

Omnem uim diuinandi, rationemq́ primum repetendam à Deo, deinde à fato, deinde à natura.1.de Diuin.

Tribus modis deorum appulsu homines somniare: uno, quòd præuideat animus ipse per sese, quippe qui deorum cognatione teneatur: altero, quòd plenus aer sit immortalium animorum, in quibus tanquam insignitæ notæ ueritatis appareant: tertio, quòd ipsi dij cum dormientibus colloquantur: idq́ facilius euenit appropinquante morte, ut animi futura augurentur.1.de Diuin.

Nihil esse bonum, nisi quod honestum.2. Tusc. Dolorem non esse malum. Ibidem.

Prodicus.

Prodicus Chius Physicus, ea, quæ prodessent hominum uitæ, Deorum in numero habita esse dixit.1.de Nat.Deor.

Protagoras.

Abderites Protagoras, Sophistes temporibus illis uel maximus, cum in principio libri sui sic posuisset, De dijs, neque ut sint, neque ut non sint, habeo dicere, Athenienſium iussu urbe atq; agro ē exterminatus, libriq́

eius in cõcione cõbusti. Tenuit id cuiq; uerum esse, quod cuiq; uideatur. in Luc. & 1. de Nat. Deor.

Pyrrho.

Pyrrho Eliensis, à quo Pyrrhonij nominati sunt, omnia exæquauit, atq; uirtute constituta nihil omnino quod appetendum sit reliquit: & introduxit ἀπάθειαν, id est uacuitatẽ affectuum, ut sapiens omni perturbatione liberatus, nihil appetat, nihil fugiat, nec hoc potius, quàm illud sequatur, sed omnibus in rebus indifferenter, & sine ullo affectu se habeat. in Luc. & 3. & 4. de Finib.

Simonides.

De Simonide Chio poëta, non solùm suaui, uerum etiam docto sapienteq; cum quæsiuisset Hiero tyrãnus, quid aut qualis esset Deus, deliberandi causa sibi unum diem postulauit. Cum idem ex eo postridie itidem quæreret, biduum petiuit. Cum sæpius duplicaret numerum dierum, admiransq; Hiero quæreret, cur ita faceret: Quia quãto, inquit, diutius considero, tanto mihi res uidetur obscurior. Cum enim multa uenirent in mentem acuta atq; subtilia, dubitans quid eorum esset uerissimũ, desperauit omnem ueritatem. Primus memoriæ artem protulit, de quo uide 2. de Orat. & 1. de Diuin.

So-

Solon.

Solon Athenienſis, unus de ſeptem ſapientibus fuit, & ex ijs ſolus legũ ſcriptor. Viguit Seruio Tullio regnante. Qui, quo & tutior uita eſſet & plus aliquanto Reip. prodeſſet, furere ſe ſimulauit. Areopagitas præterea primus conſtituit. Negabat uelle ſuam mortem dolore amicorum, lamẽtisq́; uacare. Dicebat tum deniq; iudicari, beatus ne quis fuerit, cũ extremum uitæ diem morte confecerit. Et capite ſanxit, ſi quis in ſeditione nõ alterutrius partis fuiſſet. 10 Epiſt. Ad Attic. 15. ad Brutũ, & de Senect. 1. Off. de Diu. & 3. de Fin.

Stilpho.

Stilpho, uel rectius Stilpo à Cicerone in Academicis dicitur, qui nõ ſolùm Megarenſis fuit, uerumetiam ſecta Megaricus. Nam Megarici quidam philoſophi ab Euclide ſunt appellati, qui poſtea ἐριστικοὶ et διαλεκτικοὶ uocati ſunt. Hunc ſcribunt ipſius familiares & ebrioſum & mulieroſum fuiſſe: neq; hoc ſcribunt uituperantes, ſed potius ad laudem: uitioſam enim naturam ab eo ſic edomitam & compreſſam eſſe doctrina, ut nemo unquam uinolentum illum, neq; in eo ueſtigium libidinis uiderit. de Fato.

Strato.

Lampſacenus Strato, Theophraſti auditor, Phyſicum haberi ſe uoluit, in quo etſi eſt magnus, tamen noua plerąꝫ & perpauca de moribus. Huius Lyſias & oratione locuples, rebus ipſis ieiunior. Concinnus deinde & elegans huius Ariſto. Sed ea, quæ deſideratur à magno philoſopho, grauitas in eo non fuit. Scripſit ſanè & multa & polita: ſed neſcio quo pacto auctoritatem oratio non habet. Dixit uacationem deos habere, et uim diuinam in natura cenſuit eſſe ſitam, quæ cauſas gignendi, augendi, minuendíue habeat, ſed careat omni ſenſu & figura. in Luc. 1. Acad. 5. de Fin. & 1. de Diuin.

Thales.

Thales Mileſius, unus de ſeptem ſapientibus, cui ſex reliquos cõſenſiſſe ferunt, primus de natura rerum diſputaſſe quibuſdam uidetur. Is, ut obiurgatores ſuos conuinceret, oſtenderetq́ etiam philoſophum, ſi ei commodum eſſet, pecuniã facere poſſe, oẽm oleam, ante quàm florere cœpiſſet, in Mileſio agro coemiſſe dicitur. Animaduerterat fortaſſe quadam ſcientia, olearũ ubertatem fore. Et quidem idem primus defectionem Solis, quæ Aſtyage regnãte facta eſt, prædixiſſe fertur.

Aquam

Aquam dixit esse initium rerum, Deum autem eam mentem, qui ex aqua cuncta fingeret. In Luc. 1. de Natur. & 1. & 2. de Diu. & 3. de Orat.

Xenophanes.

Xenophanes Colophonius, unus, qui unum Deum, eumq́; immutabilem, &c. esse diceret, diuinationem sustulit funditus. Habitari aiebat in Luna, eamq́; esse terram multarum urbium & montium. In Luc.

Zeno Epicureus.

Zeno Epicureus, quem Philo Coryphæum appellare Epicureorum solebat, Athenis docuit. Is non eos solum, qui tum erant, Apollodorũ, Syllum, cæterosq́; figebat maledictis, sed Socratem ipsum, parentem philosophiæ, Latino uerbo utens, scurram Atticum fuisse dicebat. Contendere & magna uoce dicere solebat, eum esse beatum, qui præsentibus uoluptatib. frueretur, confiderétque se fruiturum aut in omni, aut in magna parte uitæ, dolore non interueniente. 3. Tusculan. & 1. de Natura Deorum.

TABVLA OPINIONVM de ſummo bono, ex 5. Tuſcul. & 2. de Finibus.

Sententiæ de bonorũ & malorũ finibus, quæ ſtabilitatis aliquid habent, ſunt ſeptem:

- Quatuor ſimplices,
  - Nihil *bonum, niſi honeſtum. Stoici à Zenone profecti.*
  - Nihil *bonum, niſi uoluptatem: Epicurei ab Epicuro.*
  - Nihil *bonum, niſi frui primis bonis à natura datis, aut omnib. aut maximis: Carneades.*
  - Nihil *bonum, niſi uacare dolore: Hieron.*
- Tres *miſtæ.*
  - Tria *bonorũ genera*: Animi. Corporis. Externa. — *Academici & Peripatetici ueteres.*
  - Voluptatẽ *cum honeſtate copulari: Clitomachus, Callipho.*
  - Indolẽtiam *honeſtati adiunctã: Diodorus Peripateticus.*

Ex *secũdo de finibus septẽ quoque*

- Tres *honestatis species.*
  - Aristippi, *uel Epicuri. Voluptas.*
  - Hieronymi — Doloris *uacuitas.*
  - Carneadis. *Frui prĩcipiis naturalibus.*
- Tres, *in quib. uirtus & honestas cũ aliqua accessione ponuntur*
  - Polemonis.
  - Calliphonis.
  - Dinomachi.
  - Diodori *Peripatetici.*
- Vna *simplex posita in decore tota & honesto:*
  - Zenonis *Stoicorum patris.*

Aristonis

Aristhonis, Pyrrhonis, Herilli, nonnullorúmque aliorum euanuerunt sententiæ, inquit Cicero, qui tamen haberent ius suum disputandi de officio, si rerum aliquem delectum reliquissent, ut ad officij inuentionem aditus esset. Aristoteles Ethicorum libro primo, sententias de summo bono aliter distinxit, & generatim sex tantum celebratas & defensas posuit: tres uulgares & improbatas, sanitatem, facultatem, scientiam: tres alias, quæ retentæ sunt & defensæ à uoluptarijs, magistratibus, Platonicis, uoluptatem, honorem, & ideam. Ex quo intelligitur qualis ueterum illorum Philosophorum philosophia fuerit, quæ in eo, à quo orta est, & quod unum spectare & sequi debet, tam uarie feratur.

FINIS.

HIERONYMI VVOLFII ANNOTATIONES IN ALIQVOT sententias è Ciceronianis operibus collectas.

De autore.



Atis nobis est, constare inter omnes eruditos, Ciceronem optimũ & dicendi, & sentiendi etiam in plerisque rebus, esse magistrũ. Itaque omnes eius loquendi formulæ (modò in loco adhibeantur) certissimæ regulæ syntaxeos habendæ sunt, multóque utilius est, assuefieri pueros, ut scripta & dicta sua, autoritate Ciceronis, quàm semibarbaris & latissimè patentibus, nec satis certis grammaticorum regulis, comprobent. Neq; uerò hoc sic accipi uelim, quasi illas contemnam: cum multum in non paucis commoditatis insit: sed ut admoneam, diligentiam obseruationis & imitationis, cum illis esse coniungendam. Ad sententias ipsas quod attinet, & eas res, quæ uerbis includuntur: acriore iudicio est opus. Neq; enim ubiq; ita sensit Cicero: sed sæpè opiniones aliorum minus probatas recen-

recenset. Et ut ita senserit, quemadmodum uerba indicant: tamen eũ ipsum autorẽ secuti, re magis quàm teste moueamur, spectemúsque, non quis, sed quid dixerit. Etsi autem temeritatis & arrogantiæ singularis esse uidetur, censuram suam doctissimorum uirorum sententiis interponere: quasi uerò plebeius literator id perspiciat, quod aciem acutissimorum hominum effugerit: tamen ab eo crimine cùm Christianæ doctrinæ certitudo, quæ regula est, & dicta & facta omnia iudicandi, facilè nos uindicabit: tum iudicium nostrum sic in medium afferemus, ut nemini de nobis quoque iudicandi libertatem ademptam uelimus. Quare longiore excusatione omissa, locum hunc his Horatij uerbis concludamus:

——si quid nouisti rectius istis:
Candidus imperti. Si non: his utere mecum.

De opere.

Huius commendatio coniuncta est cum ipsius autoris prætantia, qui ut uir sapiẽs fuit atque eloquens: ita etiam scripta illius multum adiumenti afferunt & ad dicendum & ad iudicandum. Quare pueri, meum exemplum secuti, cum & pauci uersus, & ex

ex interuallo proponantur : omnes senten-tias ad uerbum ediscent , & in memoriæ thesaurum , tanquam gemmas & κειμήλια, reponent.

Fructus huius laboris.

Habebunt pueri plurimas exquisitas dicendi formas : multa lumina orationis,hoc est, uerborum ac sententiarum exornationes: cognoscent uarias hominũ de rebus grauissimis opiniones: quæq; probandæ,quæ reijciendæ uideantur, animaduertent : argumenta uersuum scribendorum optima & elegantissima suppetent, atq; etiam declamationum: si ad præscriptum Aphthonij,aut si quod illo melius est, tractentur:excitabitur animus ad multas res præclaras & dignissimas homine,tum cogitandas,tum intelligendas,quæ magnis uoluminibus prolixè tradũtur: ingenium , quasi luminibus illatis,illustrabitur atq; augebitur: imbecillitati angustæ memoriæ,breuitate hac,succurretur : deniq; (ne longum faciam) sanctissima degendæ uitæ præcepta & regulas (id quod in primis spectandum est) in promptu atq; in numerato habebunt.

Ediscendi ratio.

Ad uerbum ediscendi solicitudo non quidem

dem prorſus improbanda eſt (nam & memoriam exercet, & διάθεσιν efficit, atque rem inchoat) ſed crebra repetitio & tractatio longè utilior eſt: cumque pariat ἕξιν δυσμετακίνητον, negocium abſoluit.

Ratio explicationis.

I. Pueri clara uoce, diſtinctè, expeditè ſententias memoriter recitabunt.

II. Verba ordine Grammatico digerent, qui & Dialecticæ inſeruit, ut, quod ſubiectum, quod prædicatum ſit? intelligatur.

III. Singula uerba ſermone uernaculo propriè reddent: alicubi etiam Etymologiã & Syntaxin tractabunt.

IIII. Formas loquendi excerpent, ac uernaculo Græcoq́ ſermone reddent.

V. Sententiam Latinam, quàm propriè atq́ eleganter fieri poterit, germanica lingua exprimunt.

VI. Tum Græcè uerbum uerbo annumerabunt.

VII. Mox etiam ſententiam appendent.

Annotatio.

Ex hac tractatione ſermonis Græci, Latini & uernaculi, tam conſenſio, quàm diſcrimen

men eorum elucebit: cùm in Etymologia & Syntaxi, tùm in cõformatione periodorum, & ratione sententiarum posita. In Etymologia & ipsæ partes orationis, & singularum accidentia obseruabuntur. Multis Græci uerbis abundant, quibus Latini: pluribus, quibus Germani careant; artium præsertim propriis: quas ut Latini serius attigerunt: ita nostri homines penitus ignorarũt. In his igitur aut obmutescamus, aut rerum nostrarum satagamus necesse est. Cum autem patrij sermonis egestate (ut Horatianis uerbis utar) non impediemur: uidendum erit: an ijsdem orationis partibus utamur, ijsdem generibus, numeris, casibus, modis, temporibus? an eodem ordine? eadémue breuitate aut prolixitate? An prouerbia, metaphoræ, aliáque figuræ æquè in omnibus linguis ferri possint? & si quæ sunt alia huius generis: quæ omnia, cum lumen exemplorum & obseruationis diligentia accesserit, clariora erunt, & id commoditatis afferent, ne Solœcismorum sordibus, atq; alijs ineptiis, linguarum puritas inquinetur.

VIII. Qui à Musis & Gratiis non ab-

horrent. Latinis & Græcis uersibus sententias si non omnes, at selectiores reddent.

IX. Atq; ex iisdem argumenta scriptionum etiam solutæ orationis petent, pro sui quisq; ingenij captu, & doctrinæ progreßione, & commoditate studiorum. Neq; enim cuiquam idonus imponimus, quod per ferre nequeat, neq; inuitum quenquam cogimus: malè respondere coacta ingenia non ignari, Νὴ Δία γὰρ δεῖ ἔνδον τι ἔμμεναι, *ut Lacon ille dicebat: Mineruam in capite, & Musas in pectore, & Mercurium in ore gestet oportet is, à quo eximium aliquid & singulare expectes. Quia uerò nullus ingeniorum delectus agitur, nec ea cura quæ debebat, adhibetur: paucißimi ex iis, qui literis nomina dederunt, ad frugem perueniunt. Semidoctis autem hominibus, ad decipiendum & nocendum instructis, redundant omnia: quorum intemperiis, doctorum etiam bonorumq; uirorum existimatio læditur, & commoda impediuntur. Sed ad institutum redeo.*

X. Censura cuiq; sententiæ addenda erit, & declaratio breuis, & similes Græcorum sententiæ, sicubi commodum aut opus esse uidebitur. Neque enim his quasi uinculis, ita nos, seruilem in modum, astringimus, ut ea

relaxandi, atque etiam abijciendi libertas nobis adimatur. Seruiendum erit tempori & breuitati, quatenus ea discentium commodis non obstiterit. Neque enim ea compendia probantur, quæ afferre dispendia consueuerunt. Hac igitur ratione seruata, qui mediocri ingenio, atque in id quod agitur, intentus fuerit: sine ullius laboris & molestiæ sensu, totam sententiam ita memoriæ mandauerit, ut non ad paucos dies, sed perpetuò hæreat, nec unquã ex animo effluere possit. Ἕξις *enim parabitur (ut dixi)* δυσμετακίνητος, *non* διάθεσις ὀλιγοχρόνιος, *non minus irrita quàm laboriosa: id quod & discipuli & magistri, quotidie nisi fallor, nec sine molestiis, experiuntur. Sed iam aliquid de sententiæ definitione ac diuisione dicatur, ut intelligatur quid sit id, quod explicandum suscepimus.*

Methodica sententiæ tractatio.

Sententia deducitur à sentiendo, id est, statuendo & iudicando, quòd, quid aliquis de re, facto aut persona aliqua sentiat, declaret. Hæc descriptio, generalis est & orationem Grammaticam quoque complectitur, q̃ uerbo et nomine minimũ constare oportet, ut

Plato philoſophatur. Græcè dicitur γνώμη, *quaſi* νοήμη, *ut Fauorino placet, à uerbo* νοεῖν, *id eſt, ſentire, intelligere, ſtatuere, uel potius à uerbo* γνῶναι. *Vernaculo ſermone uariè reddi poteſt ſententia:* ein meinung/ ſpruch/ innhalt/ fürnemen/ bedencken/ raht/ vrteil/ ꝛc. *Nam & Græca & Latina quoque uox ſunt* τῶν πολυσήμων, *cum & uoluntatē, & conſilium, & decretum, & perfectam orationem Grammaticam, & iudicium, & alia fortaſſe plura ſignificent: quam uarietatem breuitatis cauſa prætermitto.*

II. Definitiones admodum periculoſæ ſunt propter uarietatem opinionum. Itaque Græci rhetores non tantùm ὁρισμοὺς, *ſed etiam* ἀνθορισμοὺς *ſuos habent. Atq; adeò, quicquid in Dialecticis præcipitur, id eiuſmodi eſt, ut plerunque in dubium uocari poſſit: non quòd ipſa methodus ſit incerta, ſed illud quæritur, an ea ritè obſeruata, atque in loco adhibita ſit? Sic extra controuerſiam eſt, ſacrarum literarum autoritatem eſſe eam, cui contradici nefas ſit. Sed illud ſæpè dubitatur, an perpetuus ſcripturæ conſenſus ſeruetur? an teſtimonia quæ adducuntur rectè intellecta & propoſitæ quæſtioni accommodata*

data sint? an id concludant, de quo disputatur? Alius ait, alius negat, alius amplius deliberandum censet. Hinc rixis & dissidiis feruent omnia, nec ulla concordiæ spes relinquitur, desperatis omnibus humanis auxiliis, nisi Deus nos clementer respexerit. Sed ad institutum redeo. periculosæ sunt, inquam, definitiones, quòd ambigi solet, uerúmne genus, uera differentia, uerum proprium sit adhibitum? Idem etiam de reliquis methodi quæstionibus & locis inuentionis intelligatur. Sed tamen audeamus aliqd, non tam nostro confisi ingenio, quàm ueterum autoritate, quam libenter sequimur, cũ nihil melius aut certius sese nobis offert.

Definitio ex Rhetoricis ad Herennium.

Sententia est oratio sumpta de uita, quæ aut quid sit, aut esse oporteat in uita, breuiter ostendit. Hæc definitio potissimum ad doctrinam morum pertinet, cum sint (ut mox uidebimus) etiam aliarum disciplinarum sententiæ. Alij dicunt, esse memorabile dictũ, omnium iudicio & assensu comprobatum: id quod uix fieri potest: ac ne uix quidem, nisi eos solos iudicare dicas, qui ueritatem &

 intel-

intelligunt & amant, nec affectibus transuersi aguntur. Addamus & Græcorum definitiones, quæ sunt huiusmodi.

Γνώμης ὁρισμοὶ παρὰ τοῖς ἕλλησι.

α. Ἡ τοῦ ἐπιεικοῦς κρίσις ὀρθή. *De æquo & bono rectum iudicium.*

β. Ἀπόφανσις καθολικὴ περὶ τῶν πρακτέων, καὶ ὡς αἱρετὰ ἢ φευκτά ἐστι πρὸς τὸ πράττειν. *Pronunciatum uniuersale de rebus agendis, quatenus eæ uel expetendæ uel fugiendæ sunt.*

Ex Aphthonio.

γ. Γνώμη ἐστὶ λόγος ἐν ἀποφάνσεσι κεφαλαιώδης, ἐπί τι προτρέπων, ἢ ἀποτρέπων. *Sententia est oratio breuis, quæ decernit, quid agendum sit? & ad id persequendum hortatur, & quid fugiendum sit? ab eoque deterret.*

Definitiones siue descriptiones generales, quæ & ad cogitationem & sermonem Grammaticum pertinent.

A. Ὄρεξις ἐνδιάθετος τῶν ἐφ' ἡμῖν. *Appetitio animi eorum, quæ in nobis sita sunt.*

B. Διάθεσις ἐπὶ τοῖς ἐφ' ἡμῖν ὀρεκτικῶς βουλευθεῖσι. *Affectio ad ea quæ in nostra potestate*

state sunt, cum appetitione deliberata.

Γ. Συμπέρασμα ἢ πρότασις ἐνθυμήματ⊙. *Conclusio aut propositio enthymematis. Etsi autem in his descriptionibus cogitatio designatur: tamen* ὁ ἐνδιάθετ⊙ λόγ⊙, καὶ ὁ προφορικὸς, *reipsa inter sese consentientes, eò tantùm differunt, quòd omnis cogitatio in seipsa uertitur: oratio autem ad aliorũ quoq; aures & animos peruenit.*

Diuisio sententiæ.

Hæc, si Aphthoniũ autorem sequamur, huiusmodi est, τῆς γνώμης, τὸ μέν ἐστι προτρεπτικὸν, τὸ δὲ ἀποτρεπτικὸν, τὸ δὲ ἀποφαντικόν: καὶ τὸ μὲν ἁπλοῦν, τὸ δὲ συνεζευγμένον: καὶ τὸ μὲν πιθανὸν, τὸ δὲ ἀληθὲς, τὸ δὲ ὑπερβολικὸν, *hoc est, Sententiæ aliæ hortantur, aliæ dehortantur, aliæ pronunciant aliquid. Aliæ sunt simplices, aliæ coniunctæ. Aliæ probabiles, aliæ uera, aliæ immodicæ. Potest & alia sententiarum diuisio peti, è uarietate disciplinarum, sectarum, uitæ generum, uirtutum & uitiorum. Etsi enim eæ potissimum dicuntur sententiæ, quæ uel ad bonos mores cohortantur, uel à malis deterrent: tamen quælibet ars habet suas siue sententias siue regulas. Neq; enim curiosè distinguimus. Sunt igitur sententiæ Grammaticæ,*

Dialecticæ, Rhetoricæ: sunt Musicæ, Arithmeticæ, Geometricæ, Astrologicæ, Meteorologicæ. Sunt Physicæ & Metaphysicæ seu (ut ueteres appellarunt) Theologicæ. Sunt Medicæ, sunt iuridicæ. Occurrunt etiam passim Parasiticæ, Militares, mercatoriæ, nauticæ, meretriciæ. Deniq; nullum uitæ genus, nullum opificium est, quod non suas habeat sententias, quibus populares applaudunt. Sed hæc discrimina persequi non est nostri instituti, & sicubi inciderint, per tempus tractabuntur. Nūc de iis potissimùm agimus, quæ pertinent uel ad priuatos cuiusque mores formandos, uel ad regendam familiam, uel ad capessendos & gerendos magistratus, &c.

Aphthonij diuisio τὸ ψευδὲς καὶ ἀπίθανον, *id est, sententias falsas & absurdas, aut prætermisit, ut indignas nomine sententiæ: aut hyperboles figura eas cōplexa est. Vtcunque sit, reperiuntur passim & in poetis & scriptoribus aliis non modò falsæ, sed etiam prorsus absurdæ sententiæ: siue ab inopia doctrinæ & iudicij: siue ab aliquo temerario affectu profectæ: siue etiam decoro personæ attributæ.*

III. Partes sentētiæ eædē sunt quæ Grāmaticæ orationis. Quare prætereantur.

IIII.

IIII. Causa efficiens est iudicium & experientia: & hoc ad ueras tantùm & probatas sententias pertinet: non etiam ad illas, quas uel stulticia uel imperitia uel improbitas dictauit. Materia, sunt uitæ communis actiones. Hoc pertinet ad eas quæ mores informant. Nam de cæteris, ut diximus, hoc tempore minus laboramus. Forma, est ipsa integra sententia certis de rebus, & certo genere orationis agens. Plerique requirunt breuitatē in hoc genere. Quæ si omninò flagitabitur: multa ex hoc libello expungenda erunt, aut alio uocanda nomine. Sed breuitas ea intelligatur, quæ nec superuacaneum quicquā inculcet, nec necessarium prætereat. Nam uerba & syllabas numerare, re ipsa non considerata, ineptum quiddam & puerile est. Finis & effectus: rectè sentire, eruditè loqui, uiuere prudenter & moderatè: atque etiam scripta hisce uel ornare uel confirmare.

V. Adiacentia ex diuisione petantur.

VI. Cognata sunt, prouerbium, chria, exemplum, parabola, ænigma, apophthegma, enthymema. Id est, sententia ex contrarijs, & si qua sunt huius generis alia: de quorum distinctione non magnoperè laboramus.

VII. Orationi, quæ sententiæ genus est,

repugnat silentium. Habent deinde et species sua contraria. Nam uera, falsa: probabili, absurda: aliæ deniq; alijs repugnant.

VIII. Exẽpla infinita cùm optimi quiq; autores suppeditant, tum à studiosis hominibus complures uel de industria conscriptæ, uel hinc inde collectæ sunt. Extant autem hoc tempore præter hasce Ciceronianas, in Biblijs Prouerbia, Ecclesiastes, & Sapientia Salomonis, Iesu Syracidæ Ecclesiasticus: in profanis literis habemus γνώμας Philolai, Phocylidis, Theognidis. Isocratis Parænetica. In promptu sunt & Ioannis Stobæi sententiæ: & γνῶμαι uariorum autorum additæ hymnis Callimachi. Collegerunt & recentiores Theologi nonnullas, cuiusmodi sunt Agapeti Diaconi ὑπομνημονεύματα Græca, Maximi Centuriæ. Item Nili Episcopi, & Xysti Pythagorici. Collectæ sunt & sententiæ Latinorum Theologorum, ut D. Augustini, Bernhardi, et aliorum. Denique nostra & patrum nostrorum ætate complura huius generis scripta sunt edita. Habemus enim sententias Platonicas, Aristotelicas, Demosthenicas, Isocraticas, Pindaricas, Ouidianas, Terentianas, Plautinas, &c. Polyantheam Dominici Nani flores illustrium poëtarum, Andreæ Eborensis senten-

sententias & exempla. Sententiarum uolumen Stephani Belengardi, flores sententiarum Bartolomæi Amantij. Sunt in manibus & Senarij Græci, & uersus Comicorum, & loci communes sententiosorum uersuum Georgij Maioris & Ioannis Murmellij. Hactenus de sententiarum collectoribus. Exemplorum autem libros edidere Valerius Maximus, Sabellicus, Egnatius: Prouerbiorum uolumen nostra lingua extat Ioannis Islebij, & Eberhardi Tappij (neque uerò nostræ nationis scripta, stulto supercilio nobis contemnenda sunt: sed magni potius facienda & excolenda) Zenobij, Apostolij, Polydori Virgilij, Adriani Iunij, Erasmi Roterodami, idémque apophthegmata & parabolas collegit. Facetias scripserunt Poggius, Bebelius, Barlandus, Gastius, Brusonius. Alij denique complures alia fortasse, quæ mihi uidere non contigit, hominibus studiosis communicarunt. Ne Cato quidem noster est negligendus ideò, quòd pueris proponatur. Id enim eò fit, quòd præclaras sententias continet. Ac ne Aesopi quidem fabulæ. Optima enim quæque tradenda sunt pueris, quibus uiri facti (ut ait Aeschines)

nes) utantur. Neq; uerò quicquam superioribus claßibus nostræ scholæ non tenendũ est, inferiorum institutioni destinatum. Quod cum publicè omninò præstandum esset (nam inscitia inferioris claßis proximæ ab illa subinde incommodat) & multis de causis in hac urbe præstari non poßit: priuato cuiusq; studio qđ decesserit, resarciatur: in prima classe præsertim. Hæc commemoratio propterea suscepta est, ut studiosi homines, qui nec ocio nec libris abundant, huiusmodi fœcunda scripta sibi peropportuna esse intelligerent. Idem etiam de methodis bonarum artium teneatur. In quibus omnibus eundẽ excellere, mortalitatis nostræ conditio non finit. In uno autem certo genere doctrinæ cum laude uersantem, aliarum etiam præcipua capita & ἀξιώματα cognoscere, ut docta, & nulla in re sit rudis oratio atq; hospes, nihil uetat, si aßiduitati diligentia uel mediocris memoria suffragetur. Hinc oritur πολυμαθημοσύνη ἧς ἐ χαριέστερον ἄλλο. Neq; enim ad inanem ostentationem ἧς ἐ κενεώτερον ἄλλο, hæc referri uolumus: sed ad iudicium & cognitionem rerum, & ad moderationem animorum. Nam quò quisq; plura didicit, & inter sese contulit: eò est ignoscentior & humanior: neq; miratur,

non

non omnes eadem sentire: cum qualibet opinio & autoribus suis, & rationibus quibusdã nitatur. Itaq; non tam à se dissentientes odit & insectatur, quàm suam infantiam atque inscitiam accusat, qui aliud illis persuadere non poßit. Qui autem in uno solùm doctrinæ genere laborarunt: excellunt illi quidem fortaßis in eo, in quo ætatem consumpserunt: sed ijdem plerunq; sunt homines arrogãtes, aliorum contemptores, importuni, morosi, pertinaces, plurimarum rerum imperiti, quibus nunquam quicquam iniustius, autore Comico: quòd nisi quod ipsi didicerunt, nihil rectũ putant. Sed hæc hactenus. Nunc ad sentẽtiarum explicationem accedamus: quas qui exercendi stÿli gratia tractare uoluerint, rationem ab Aphthonio præscriptam sequantur licet: quam constare ait:

τῷ
- ἐγκωμιαστικῷ *laudatione.*
- παραφραστικῷ *uberiore explicatione et disertiore.*
- τῆς αἰτίας *causæ expositione.*
- ἐκ τοῦ ἐναντίου *contrario.*
- παραβολῇ *collatione.*
- παραδείγματι *exemplo.*
- μαρτυρίᾳ παλαιῶν *testimonio ueterũ.*
- ἐπιλόγῳ βραχεῖ. *Breui clausula.*

DE DEO EIVSQVE natura.

TItuli hi, seu loci communes ideò instituti sunt, ut similes sententiæ, & ad eandem rem pertinētes, in promptu essent. Quæ res & memoriam & iudicium ualde confirmat, & ex multiplici uariaq; lectione unum quoddam quasi corpus conficit. Qui autem nec similia conferunt, nec differentia & contraria obseruant: malè consulunt suis studijs, & multum legendo, parum proficiunt: præsertim non suffragante memoria. Quare consultum mihi uidetur, ut quisque optimos sibi codices compareт, eósque sartos tectos conseruet, & numeris similia loca coniungat. Exempli gratia: Cicero de Coa Venere agit epistola nona libri primi, & tertio libro de officijs. Scribet igitur adolescens studiosus in nona epistola, uide tertium de Officijs fol. etc. Hæc est memoria quam uulgo localem uocãt; profectò non aspernanda. Magna enim uis est in locis, imaginibus, similitudine, dissimilitudine, affinitate & repugnãtia rerum. Sũt igitur, ut dixi, memoriæ causa sui cuique codices, in quibus cum aliqua diligentia uersatus est, diligenter asseruandi & magni faciendi.

De Deo.

Omnibus hominibus insita est generalis quædam noticia de potentia, sapientia & bonitate Dei: ut & D. Paulus primo & secundo capite ad Romanos testatur: & ipsa experientia docet. Sed tamen ea desunt, quibus salus hominis nititur. Itaque ad regulam sacrarum literarum, quicquid hîc de Deo rebusq; diuinis præcipitur, est exigendum: & quod hîc deest, ex iisdem supplendum. Neque uerò philosophi suam ignorantiam non agnouerunt: sed ingenuè sunt professi. Quod uel Plato in Timæo his uerbis indicat: Τὸν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς, εὑρεῖν τε ἔργον: καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν. *Quæ uerba Cicero sic interpretatur: Illum quasi parentem huius uniuersitatis inuenire difficile est: & cum iam inueneris, indicare in uulgus, nefas.*

Specimen siue exemplum eius rationis, quam in hoc opusculo sequi constituimus: quam suo quisque Marte imitari poterit.

Cice-

Cicero 2. de legibus.

A dijs immortalibus sunt nobis agendi capienda primordia.

I. Puerilis singulorũ uerborũ declaratio.

A, *ab*, *uel abs* von/ab.

Dijs, *Deus* Gott.

Mors, tod/mord/sterben/*mortalis* sterblich/tötlich / *ĩmortalis* vnsterblich/vntö lich/*mortalitas* (ὁ πρόσθνητος βίος) sterbliche natur/das vergengklich leben / *immortalitas*, das ewig leben.

Sum ich bin.

Ego ich.

Ago ich thů/handle/wirck/treib/rc.

Annotatio.

Varietas significationũ è formulis rectissimè cognoscitur, quas omnes rudibus inculcare, stultum fuerit. Suo quanq́; loco declarare, & monere, ut reliquas è libris suis petant, præstat, ut, agere forum gericht halten/ *agere delectum militum*, die landsknecht mustern/ *Agere animam*, inn den ligen ligen.

Capio ich fahe/nim/fasse/rc.

Ordior ich fahe an. *Hinc primordium* anfang/vrsprung/*exordium*, *idem*, *uel* ain eingang der red/*uulgò præambulum* ain vorred/

exor-

exordior ich fahe an / mach ain eingang/ich zettel an. *Hinc ordiri telam, & pertexere.*

Admonitio.

Significatio, compositio & deriuatio cuiusq; uocabuli requiratur è lexicis. Ratio inflexionis, cæteraq; accidentia, petantur è Riuij Grammatica. Sed hæc quintæ & quartæ classis discipulis, propter imperitiam, demonstranda ferè sunt à præceptoribus. Reliqui autem (ni fuerint planè hebetes & ignaui) suo marte facilè præstabunt utrunq;.

II. Coniuncta uerba.

Deus immortalis. Der allmechtig/ ewig/gůtig Gott/*&c.*

Capere primordia, id est, Ordiri, exordiri, incipere anfahen/ *est* περίφρασις *seu circuitio.*

Capere primordia agendi ab aliqua p̄sona.

Capere primordia alicui⁹ rei ab aliqua re.

Annotatio.

Casus qui uerbis iunguntur, uel personas significant, uel res.

Personæ intelligantur Dij & Deæ, homines, hoc est, uiri & mulieres, angeli boni & mali, utriusq; sexus apud poëtas, hoc est, dæmones

mones & furiæ, bestiæ seu animalia.

Res appellantur cætera omnia, ut domus, cœlum, terra, uirtus, uitium, etc. Quanquam has quoq; poëtæ, κατὰ προσωποποιΐαν, in personas transformant.

III. Annumerata uerba eodem ordine. Von Göttern den vnsterblichen sein vns deß handlens zůnemen die anfäng.

IIII. Ordo Grammaticus.

Primordia agendi sunt capienda nobis à Dijs immortalibus. Hunc ordinem secutis ad uerbū uertemus. Die anfäng zů handlen *uel* deß handlens / sein vns von den vnsterblichē Göttern zůnemen.

V. Appensa sententia, obseruata consuetudine sermonis Germanici. Wir sollen alle ding mitt Gott / *uel*, in Gottes namen / anfahen / *uel*, wir sollen inn allē vnserm thůn vnnd lassen Gott vm̄ glück vnd gnad anrůffen.

VI. Constructionis regulæ, si suppetūnt, recitētur. Sin defuerint: dicatur, esse loquendi modū, aut afferatur autoritas Ciceronis, hoc est, similis locutionis exemplū. Quam rationē curiosis regulis equidē longè antepono.

Sed

Sed tamen hæ regulæ hic recitandæ sunt.

Primordia agendi.

Primordia agendi sunt capienda.

Primordia capienda.

Sunt capienda nobis, hoc est, à nobis, uel nos debemus capere. Est enim ἀντίπτωσις, datiuus loco ablatiui cum præpositione à uel ab, qui est proprius uerborum paßiuorum casus.

Annotatio.

Casus generales diligenter discernēdi sunt à casibus uerborum specialibus, ut hîc: capiuntur à nobis agendi primordia: casus generalis est uerbi paßiui.

Agendi primordia capiuntur à Dijs immortalibus: casus specialis est uerbi capio, seu phrasis uel modus loquendi. Neq; enim rectè interpreteris: Dij immortales debent capere agendi primordia, sicut dicimus: Est mihi à patre præscribendus uiuendi modus. Hæc ratio pēdet ab obseruatione exemplorū: ut prior illa è Grāmaticis regulis petenda est. Vtiliter igitur cum Syntaxi coniungitur libellus quispiā eruditus obseruationū Latini sermonis.

Capienda à.

À Dijs.

Dijs immortalibus.

VII. Græca cōuersio uerbis annumeratis.

Ἀπὸ θεῶν τῶν ἀθανάτων εἰσὶν ἡμῖν τοῦ πράττειν ληπτέαι αἱ ἀρχαί. *Hîc cum uerba uerbis, constructio constructioni, sentẽtia sententiæ respondeat : nihil ferè est, cur ambages agamus: nisi quòd 1. addendi fuere articuli præpositiui, quibus Latini carẽt, 2. Pro gerundio agendi infinitiui præsens usurpandum fuit.*

Obseruatio.

Verba gerundi quæ uulgo gerundia uocant, & supina, Græcè exprimuntur infinitiuis τοῦ πράττειν *agendi,* τῷ πράττειν *agendo,* τὸ πράττειν *agendum, cum omnibus ferè præpositionibus & aduerbijs, quæ genitiuum, datiuum aut accusatiuum admittunt, ut,* ἕνεκα τοῦ πράττειν, διὰ τοῦ πράττειν, ἐκ τοῦ πράττειν: ἐν τῷ πράττειν: ἐπὶ τῷ πράττειν: εἰς, κατὰ, περὶ, ἐπὶ, πρὸς τὸ πράττειν. *Pro gerundijs etiam participijs uti licet : ut* ὁ Περικλῆς βροντῶν καὶ ἀστράπτων συμπέφυρκε τὴν ἑλλάδα. *Pericles tonando & fulminando permiscuit Græciam: Sed tamen Græci quoque habent aduerbium quod* θετικὸν *appellant, quo exprimunt gerundium in dum, absolutè positum: ut* ληπτέον *capiendum est & subiungunt accusatiuos* τὰς ἀρχὰς, *capiendum est primordia, pro, primordia capienda sunt. Quod imitatus Virgilius*

gilius scribit, pacem Troiano à rege petendum, pro, petenda est pax à rege Troiano, τὴν εἰρήνην αἰτητέον τὸν τῶν Τρώων βασιλέα. *Habent & adiectiua in* έος, έα, έον, *quæ respondent Latinorum participijs in dus, da, dum, quæ gerundiua quidam appellant, ut* αἰτητέος, έα, έον, *petendus, a, um. Quæ & ipsa accusatiuos admittunt, ut* ὁ τῶν Τρώων βασιλεὺς αἰτητέος ἐστὶ τὴν εἰρήνην.

Νόμοι ἑρμηνείας.

Leges interpretationis.

I. Totidem non modò uerbis, sed & syllabis & literis ijsdem, sicubi fieri poterit (raro autem poterit) eloquentium autorum sententiæ exprimantur, & uerborum sonus idem repræsentetur.

II. Id ubi diuersa linguarum ratio non sinit: tum sententiæ ueritati, tum elegantiæ uerborum seruiatur. Quod ita fiet, si nec immutes, nec addas quicquam, neq; diminuas de ipsa sententia. Nam uoces quædam, alterutri linguæ peculiares, uel omitti uel addi possunt citra iniuriam. Licet etiam circuitione uti, cum singulis uerbis aliquid satis exprimi non potest.

III. In prouerbijs, sententijs, iocis, & id genus alijs, sæpè uerbis planè diuersis, pro gen-

tis cuiusq; cõsuetudine, sensus idem exprimitur: ut ἅμα μὲν ἔπος, ἅμα δ' ἔργον. Ineptè uertas Latinè, simul quidẽ uerbũ, simul uerò factũ: & Germanicè, mitt ainander gleich wol wortt/mitt ainander aber that. *Terẽtius dixit, dictũ & factũ, inuenerit causam quãobrẽ eijciat oppido. Nos in familiari sermone,* Ee sich ainer vmsihet / *uel* ee ainer das maul wischt / *uel,* inn ainẽ schnipp / *uel,* Er kan es so bald nit sagen/so ist es schõ geschehẽ / *uel,* wortt vñ werck gehn mit einãder/oder sein ain ding/schnall vñ fallist ain ding. *Centauri, minitãtes alijs, dicere solẽt,* hiette dich/das nit faust vñ maul ain ding (werde.

Annotatio.

Prouerbijs uulgaribus, præsertim scurrilibus & iocularibus, uel parũ uerecũdis, abstinendum est in re seria, & apud graues uiros. Ineptus.n.fuerit, q cõcionẽ de angelis sic auspicetur. Von fischen vñ englẽ ist nit gůt zů predigẽ/dañ man waist nit ob si fisch oder er sein. *Sed redeamus iam ad conuersionẽ Latinæ sentẽtiæ Græcã. Nã in illa superiori annũeratiõe uerborũ 1. duriusculè cohærent λυσιτελέαι αἱ ἀρχαὶ, 2. usitatius dicitur λυσιτελέον ἡμῖν uel δεῖ λαμβάνειν ἡμᾶς τὰς ἀρχὰς,*

3. Epi-

3. Epithetō ἀθάνατος *poëticū magis est q̄ oratoriū apud Græcos. Quare sententiā sic appendamus.* Ἀπὸ θεῶν ληπτέον ἡμῖν τοῦ πράττειν τὰς ἀρχάς.

VIII. Ex hac comparatione trium linguarum inter sese, facilè apparet, quatenus uel cōsentiant uel dissentiāt. Sed tamen propter rudiores singula excutiamus.

Καθόλου.

Sermo Græcus & Germanicus in multis cōueniunt, in paucis discrepant: Latinus ab utroq; dissētit in multis, cōgruit in paucioribus.

Τὰ ἴδια.

Vbi & in quibus hæc fiant: in explicatione sententiarum, suo quidq; loco notandum erit, idq; semel: ut uitetur prolixitas, & iactura temporis caueatur: Incipiemus autem aliàs à sermone Græco, aliàs à Latino, aliàs à Germanico, prout occasio tulerit. Nunc autem à constructione primordium capiemus.

Ἀπὸ *Græcum genitiuo:* **von oder ab** *Germanicū, Datiuo: ab Latinū ablatiuo iūgitur.*

Θεῶν *Dijs. Et Græci & Latini fuerūt idololatræ. Itaq; in numero plurali consentiunt. Christiana aūt religio unū Deū nouit. A Græcis igitur & Latinis Germani ut religione, sic etiam numero uocis huius differunt.*

Τῶν ἀθανάτων.] **Dem ewigen Gott**: *ut et Græci aliquando dicunt, θεοὶ οἱ ἀεὶ ὄντες. Articulo carent Latini, quem Germani ut & Græci habent.*

Obſeruatio de ordine adiectiui & ſubſtantiui, deq; collocatione articulorum.

I. Latini promiſcuè ferè uel ſubſtantiuũ uel adiectiuum præponunt, ut, uir bonus, uel bonus uir.

II. Sic & Græci ἀθάνατος θεὸς uel θεὸς ἄμβροτος: quando articulos omittunt.

III. Cum articuli adduntur adiectiuo et ſubſtãtiuo, triplex ratio eſt, quæ ex hoc exemplo facilius, quàm ex regulis diſcetur, ὁ ἀθάνατος θεὸς uel θεὸς ἀθάνατος, uel ὁ θεὸς ὁ ἀθάνατος.

IIII. Germanis adiectiuum nomen plerunque præcedit, ut **ain frummer man.** *Adiectiuum ſi ſequitur, habet ferè additum articulum. Dicimus enim,* **der allmechtig Gott**/*uel,* **Gott der allmechtig.** *Sic,* **Kaiſer Carl der fünft**/ *Interdum, ut apud Græcos, geminantur articuli, κατ᾽ ἐπεξήγησιν, id eſt, per appoſitionẽ, ut* **der Turck/ der grau am tyrann.** *Sed iam redeamus ad diſcrimen linguarum.*

Sunt

Sunt nobis] Græcè ἐστιν ἡμῖν, sein vns.

Agendi] τοῦ πράττειν, zu ton/deß tons.

Capienda primordia] ληπτέαι ἀρχαὶ, zunemen die anfang.

Vernaculus sermo uix admittit hãc phrasin, nisi fallor: capio primordium alicuius rei ab aliqua re, ich nim den anfang eines dings von einem ding: *sed potius sic,* ich fahe den tag mit betten an/*uel,* ich hebe das an/*uel,* mit dem an/*uel,* ich mache der sach damit ein anfang.

Admonitio.

Difficilimum est sine reprehensione germanicè loqui aut scribere: 1. quòd arte Grãmatica caremus, 2. quòd certos & probatos autores non habemus, ut Ciceronem Latini, Græci Demosthenem, & alios plures. 3. Propter infinitam propemodum Dialectorum uarietatem, præsertim in confiniis.

Consilium.

Quo in loco quisque sedem fixit: eius loci Dialecto, crassissimis tantùm uitijs declinatis, commodissimè utetur. Qui autem huc illuc uagãtur: se cuiq; nationi, quoad possunt, accommodent, κακοζηλία & affectatio pere-

grinitatis, præsertim inconstans, plerunque ridicula est, nisi habuerit longi temporis excusationem.

Παραίνεσις.

Ob Dialectum nemo irridendus est. ὁ μὲν γὰρ ἀνάχαρσις παρ' ἀθηναίοις σολοικίζει: Ἀθηναῖοι δὲ παρὰ Σκύθαις. *Aliorum uerò ioci, æqui boniq; faciendi sunt. Neq; enim existimationem cuiusquam lædunt.*

Obseruatio.

I. Germani p̄sonas, ich/ du/ der/*uel,* die/ si/das/*uel,* es:wir/ir/si/*etc.ubiq; uerbis p̄ponunt nisi loco articuli addatur adiectiuū aliquod ut,* der vatter/ *uel,* mein vatter kumt/ *Latini & Græci secus faciunt.*

II. Germani uerba, infinita præsertim, plerunq; in fine constructionis collocant, addita ferè particula zu / *ut,ita fieri decet,* es gepirer sich also zuthůn.

III. Vt Græci,ita & Germani frequentius quàm Latini,loco nominum infinitiuis utuntur, ut: pueri probi delectantur studiis bonarum artium. Græcè οἱ σπουδαῖοι τῶν παίδων ἥδονται τῷ φιλοσοφεῖν, *id est,* τῇ φιλοσοφίᾳ. *Germanicè.* Die frommen knaben haben lust zum studieren/*uel,* studieren gern.

Anno-

Annotatio.

Germanica lingua non minus, atque adeò magis etiam quàm Latina, aut Græca, breuitate gaudet. Itaque m: itæ sunt συγκοπαί τε ϗ συναιρέσεις, ut ʒu n/ *pro*, ʒu dē. *Neq; uerò magis nobis uitio uertendum est, huiusmodi compendia in scribendo etiam sequentibus, quàm Græcis & Latinis, multa in compositionibus & deriuationibus, aliisq; loquendi formis, uel mutantibus uel addentibus uel detrahentibus.*

IX. Hactenus tractata est Grammatica. Nunc id addatur, quod etsi & ipsum Grammaticum est (pertinet enim ad loquendi scribendiq; rationem) tamen maioris cuiusdam operæ atq; artis esse uidetur: ut sententiam hactenus tractatam Græcis, Latinis & uernaculis uersibus reddamus.

Ὅ, τι ἐπῆλθε νόῳ πρήττειν: τὰ πρῶτα κεκλήσθω
Σύμμαχος, ἡγήτωρ σοὶ θεὸς ἀθάνατος.

Latini.

Quicqd es acturus: Deus ī pia uota uocetur:
Qui tibi principium, qui tibi finis erit.

Germanici.

Begerstu das dir soll gelingen/
So bitte Gott vor allen dingen.

An-

Annotatio.

I. In scribendis uersibus, quia (ut Virgilius cōqueritur) spaciis iniquis excludimur: stylus paulò est liberior: neq; necessarium, uerba curiosè persequi: modò ne à sententia longius recedatur.

II. Germanica poesis rhythmis seu ὁμοιοτελεύτοις *potissimum constans, nobis non contemnenda est, sed per tempus exercenda & excolenda. Quam qui derident: utinam non maioribus nugis magnam ætatis partē consumerent. Mihi certè quidem hæc* φιλαυτία *probatur, ut qualibet gens, suam linguā excolere, & cognitione bonarum artium expolire studeat: ut ij etiam, quibus peregrinas linguas per tot ambages discere non licet neque uacat: non omnis eruditionis sint expertes. Neque uerò peregrinæ linguæ faciunt eruditos: sed cognitio rerum & artium, quæ linguis illis continetur. Neq; docti plebeiis hominibus qualēcunque doctrinam inuidere, aut uereri debent, ne sua minuatur ea re existimatio: sed tantò magis dare operam, ut in omni disciplinarum genere excellant: & ea ipsa legere, quæ uernaculo sermone sunt edita: ne plebeij quicquam scire uideantur, q̄d ipsi ignorent.*

X. Ar-

X. Argumentum epistolæ ex hac senten tia huiusmodi sumi queat. Queritur aliquis, omnes suos conatus, aut esse irritos, aut infelices. Respondeatur ex hac sententia, causam calamitatis esse arrogantiam, & neglectum Dei, &c. Poßis & declamationem ex ea conficere: mutanda forma orationis.

XI. Επίκρισις siue censura. Sentētia hæc, si autor spectetur, Christianæ religionis ignarus, pia & approbatione digna est. Sed tamē habet errorem. 1. τῆς πολυθέου πλάνης. 2. Est siue obscura siue imperfecta. Nam nostra nos religio docet, à Deo peccatores non exaudiri, sine interceßione seruatoris nostri, Iesu Christi.

Annotatio.

Quicquid igitur à philosophis & alijs pro fanis scriptoribus de Deo & religione traditur: id uel falsum est, uel obscurum & imperfectum, & planè eiusmodi, ut eo tutò niti nō poßis. Itaque ad sacram ancoram diuinarum literarum, semper in negocio & quæstionibus religionis, est confugiendum.

Admonitio.

Iniqui & temerarij mihi uidentur insectatores profanorum autorum, ob errores de

natura & uoluntate Dei. Nam, si uerè consideres, commiseratione sunt digniores. Illud quidem nostri officij erat, Deo immortales agere gratias, & gratum animum perpetua obediẽtia et summissione animi testari, quod Euangelij lucem, diuinitus patefactã habeamus: absq; qua si esset: etiã principes Theologorum, in ijsdem tenebris uersarentur, quibus occæcati philosophi, in multos errores & deliria inciderunt.

XII. Accommodatio huius sententiæ ad Aphthonij præscriptum.

I. Τὸ ἐγκωμιαστικὸν: *Ciceronis eloquentiã summam, omnia eius scripta declarant: qđ uerò de primordijs actionum præcepit, singularem etiam pietatem.*

II. Τὸ παραφραστικὸν: *uetat enim suscipere quicquam, nisi pium & honestum: & ad id ex animi sentẽtia conficiendum, diuinam opem implorare iubet.*

III. Τὸ τῆς αἰτίας. *Qui enim numine immortalis Dei freti, ad rẽ gerẽdã accedũt: aut ad optatos exitus peruehũtur: aut, si fortuna reflauerit (sinit enim Deus sæpenumero & pios affligi, & florere impios, idq; certo cõsilio) officij conscientia se consolantur.*

IIII. Τὸ ἐναντίον. *Qui autem suis consi-*

lijs,

lijs, suis uiribus, spreto Deo, nituntur: ut ad tempus floreant, ferè tamen ad extremum uertunt omnia, & in tragicas incidunt calamitates.

V. Παραβολή. *Vt enim nauis, turbantib. æquora uentis, ut ait Lucretius, certum cursum tenere, atq; in portum salua peruenire non potest, quamuis perito gubernatore utatur: sic humanā uirtutē & sapientiā, non aspirante Deo, sæpißimè frustratur euentus.*

VI. Παράδειγμα τῆς παραινέσεως. *Sic maior Africanus, cum & Deum, adulterino Iouis nomine (Ita enim ferebat temporū illorum ignoratio) religiosißimè coleret, & omnia consilia sua, omnes actiones ad patriæ salutem & dignitatem referret: tum res amplißimas & maximè salutares geßit: tum in agris suis senex placido genere mortis, cum immortali nominis sui gloria deceßit.*

Παράδειγμα τοῦ ἐναντίου. *At C. I. Cæsar, uir ille quidem maximi animi, & splendidißimi ingenij: tamen cum omnia iura & diuina & humana peruertisset, propter eum, quem ipse opinionis errore sibi finxerat principatum: crudeli & ignominiosa morte, maximis suis rebus gestis, maculam fœdißimam inußit.*

VII. Μαρ-

VII. Μαρτυρία παλαιῶν. Itaque ueteres Romanos, quãuis Christianæ religionis ignaros, in eo tamen laudare cogor, quòd nihil inauspicatò gerendũ, sed Deos suos in consiliũ adhibendos censuerũt, & rebus benè gestis, supplicationes ijsdem decerni uoluerũt: tam diuini beneficij, quàm humanæ, imbecillitatis memores.

Annotatio.

I. In exemplis non incommodum uidetur, si ea causæ conueniunt, domesticis potissimũ uti, ut cum Romani scriptoris sententia hic tractetur, Romana etiam exempla & testimonia uidentur aptiora, propterea quòd quæq; gens suis potissimum tanquam notioribus & melioribus ac magis ueris, mouetur.

II. Cum aliquid laudatur aut uituperatur, accedere debet æqua censura; quam circumstantiæ suppeditant; ut hic in exemplo Africani factum est.

VIII. Επίλογος βραχύς. Quæ cum ita sint: & probanda est Ciceronis religio, & saluberrimum eius hoc præceptum in omni uita usurpandum: ut consiliorum, dictorum, actionumq; nostrarum omnium Deus & initium & finis constituatur.

XIII.

XIII. Similes Græcorum sententiæ.

Demosthenes epistola I.

Παντὸς ἀρχομένῳ σπουδαίου λόγου καὶ ἔργου, ἀπὸ τῶν θεῶν ὑπολαμβάνω προσήκειν πρῶτον ἄρχεσθαι.

Plato epistola 8.

Ἀπὸ θεῶν χρὴ πάντα ἀρχόμενον ἀεὶ λέγειν τε καὶ νοεῖν.

Secunda sententia.

Omnium rerum magnarum à Diis immortalibus principia ducuntur.

Explicatio.

Planè conuenit cum superiore: nisi quòd epitheton, Magnarum, uidetur excludere inuocationem diuini auxilij in rebus paruis. Sed cum omnia humana parua sint, & è paruis ea sæpè oriantur, quæ magna habentur: aut rectè imploratur Deus, tam in paruis quàm in magnis rebus, aut in neutris, quod extremæ impietatis est. Nam quòd in morsu pulicis Herculem inuocantes ridentur: id ad molliciem animi pertinere existimo.

Formæ loquendi obseruentur

Capere primordia { *agendi* / *Rerum* } *ab aliquo,*
Ducere principia

III. Sententia.

Deus est qui uiget.

Apud Ciceronem extat hæc sententia integra: neq; sic mutilata, intelligi aut probari potest. Equidem sæpè succenseo compendiis istis (quæ potius dispendia sunt) & sententiarum, & modorum loquendi, quæ quid sibi uelint, nescias, nisi ipso autore consulto: quē cui legere uacat, is istas farragines nō requiret. Notauit quidam phrasin. Aceruos capere, id est, continere. Ego uerò quæro, quarum rerū aceruì illi sint? Deinde ambigua est constructio, aceruì capiant ne an capiantur? deniq; quis homo? quæ res? qui locus istos aceruos capiat? ignoratur: aut aceruì isti quem hominem, quam rem, quem locum capiant? Inquirendum igitur in Ciceronis Catilinarijs per semissem horæ: ubi tandem reperio: Hic locus (Rostra) aceruis corporum, & ciuium sanguine redundauit. Nunc demum intelligo: & si sic notata phrasis fuisset, tempus interim meliùs collocassem. Sed sententia scribatur hoc modo: Sic habeto, te non esse mortalem, sed corpus hoc. Nec enim is es, quem forma ista declarat, sed mens cuiusque is est, non ea figura, quæ digito demonstrari potest. Deum igitur te scito esse.

Siqui-

Siquidem Deus est, qui uiget, qui sentit, qui meminit, qui prœuidet, qui tam regit & moderatur & mouet id corpus, cui est præpositus, quàm hunc mundum princeps ille Deus: & ut mundum ex quadam parte mortalem ipse Deus æternus: sic fragile corpus animus sempiternus mouet. Du solt wissen: das nit du sterblich bist/sunder dein leib. Dann du bist nit der/ den man vor augen sihet / sunder eines jeden vernünfft ist der recht mensch / vnd nit die person/darauff mann mit fingeren deutten kan. So soltu nun wissen/das du ein Gott bist. Dann der ist ein Gott/der krafft/sinne/gedechtnus/fürsichtigkeit hatt:der den leib/ dem er vorsteet / so wol regieret/ fieret vñ beweget / als der höhest Gott die gantzen wellt:vnd gleich wie der ewig Gott selbs die welt zů teil vergengklich: also beweget auch dz gemiet dz ewig ist/dē gebrechlichē leib. Εὖ ἴσθι, ὅτι ὐ σὺ θνητὸς ὢν τυγχάνεις, ἀλλὰ τὸ σῶμα τοῦτο. Οὐδὲ γὰρ ἐκεῖνος εἶς, ὅνπερ ἡ μορφὴ αὕτη δηλοῖ, ἀλλ᾽ ὁ νοῦς ἑκάστου αὐτός ἐστιν, οὐχὶ ὁ δακτύλῳ δεικνύμενος. Θεὸς οὖν ὢν ἴσθι.

θεὸς γάρ ἐστιν ὁ ἰσχύων, ὁ αἰσθανόμενος, ὁ μεμνημένος, ὁ προνοῶν, ὁ οὐχ ἧττον κυβερνῶν τε καὶ διοικῶν, καὶ κινῶν ᾧ ἐφέστηκε σώματι, τοῦ τοῦ κόσμου τούτου ἡγεμονεύοντος ἐκείνου θεοῦ. καθάπερ γὰρ τὸν κόσμον τοῦτον, ἀπόγε μέρους θνητὸν ὑπάρχοντα, ὁ θεὸς, ἀΐδιος αὐτὸς ὢν: οὕτω τὸ σῶμα τὸ διαλυτὸν ἡ ψυχὴ αἰωνία ὑπάρχουσα κινεῖ.

Sic habeto te non esse mortalem.

Ὑπερβολικὴ est hæc sententia, nata ex errore idololatrico, & arrogantia humana: quæ nomen diuinitatis profanatum rebus conditis impiè affinxit.

Te non esse mortalem sed corpus hoc.

Immortalitatem animi & legumlatores & philosophi saniores, & populi, nationesque plereque probarunt & crediderunt. Resuscitatio autem, in cineres redacti, & multifariã mutati corporis: articulus est Christianæ religionis proprius, quæ docet impios surrecturos esse ad iudicium & condemnationem æternam: pios autem ad uitam & gloriam sempiternam.

Quem forma ista declarat.

Sic & Plato scribit, ὅτι οὐκ ἔστιν ἄνθρωπος τὸ

τὸ ὁρώμενον, *non eum esse hominem, qui sub aspectum oculorum cadat. Sed & hoc hyperbolicum est. Nam corpus aspectabile, etsi integer homo non est; tamen pars est hominis, sed deterior. Si corpus solum spectetur: homo parùm differt à belluis. Si animus solus, cognatus est geniis. Corpus autem coniunctum cum animo, constituit hominem. Pertinet igitur sententia hæc ad illud oraculum Delphicum* γνῶθι σεαυτόν: *de quo Cicero Q. fratri, Noli, inquit, putare, ad arrogantiam minuendam solùm esse dictum: uerùm etiam, ut bona nostra norimus.*

Deum igitur te scito esse.

Non Deum, sed diuino spiritu animatum, & ad Dei imaginem conditum, seruum & cultorem Dei te esse scito: cuius seruitutis & cultus præmium, ex liberalitate diuina, sit futurum beata immortalitas. Consideranda igitur est hic definitio Dei & Hominis, utraque falsa. Deo enim parùm tribuitur: Homini plus iusto arrogatur. Definiunt autem philosophi Deum mentem æternam, cau" sam boni naturæ rerum. Hominem autem, " animal rationis particeps, mortale, scientiæ capax. Sed sacræ literæ certius & distinctius utrunq; describunt.

 Qui

Qui uiget.

Vigent etiam plantæ cum attrahunt humorem, cum germinant, cum florent, cum fructum ferunt.

Qui sentit.

Sensus omnium animantium est, etiã formicarum & pulicum.

Qui meminit.

Etiam canes, equi, leones & aliæ bestiæ meminerunt accepti beneficij & illatæ iniuriæ.

Qui præuidet.

Præuidet etiam inopi metuens formica senectæ: feræ, latibula, auiculæ nidos parant, ubi & fœtus suos educent, & ab iniuria tempestatum sint immunes.

Qui tam regit & moderatur.

Etiam bestiæ animas habent, quæ regunt, moderantur, & mouent ipsarum corpora. Itaq; & ambulant & currunt & quiescunt suo arbitratu, æquè atq; homo. Hactenus igitur non modò nihil diuinum attributum est homini: sed neq; quicquam non commune cũ pecudibus: nisi quòd uita, sensus, motus, prouidentia humana, pleraq; illustriora & maiora sunt, quàm bestiarum.

Cui

Cui est præpositus.

Diligenter hoc notetur, ut corporis seruitio, animi imperio (ut ait Sallustius) magis uti nos oportere, cogitemus. Animus dominus est corporis, corpus mancipium animi. Debet igitur corpus uigilare, dormire, laborare, quiescere, edere ac bibere, cæteráque aut facere aut non facere, ex præscripto animi. Hoc illud est quod Cicero dicit APPETITVM RATIONI OBEDIENTEM PRAEBERE. *Quod idem sacræ etiam literæ præcipiunt.*

Quàm hunc mundum princeps ille.

Non sunt nobis calumniãda præstãtiũ autorũ dicta: sed, cõsilio eorũ animaduerso, cõmoda interpretatione leniẽda. Consilium autem Ciceronis fuit præclarum, hominis à terra ad cœlũ, & à corpore ad animũ, reuocandi. Dicit igitur hominem esse Deum quendam, & imitatorem Dei, regendo corpore. Huic sententiæ addit occupationem. Non ideo (inquit) mortalis est homo, quòd mortale corpus habet. Alioqui enim ipse etiam Deus mortalis uideri posset, quòd quædã mũdi partes, qui uulgò quasi corpus quoddã Dei perhibetur, fragiles, caducæ, mutabiles, & ua

rijs uicißitudinibus obnoxiæ sunt. Quod autem sempiternum dicit animum, id sic accipiatur: non eum initio caruisse, ut Deum: sed fine cariturum Dei munere & uoluntate. Quæ æternitas homini etiam cum Diabolo est communis, si Dei agnitio & cultus non accesserit.

GRAMMATICA EXPOSITIO
Qui sentit.

Verba hæc cum absoluè ponuntur, significant aut neutralem facultatem, aut habitũ. Sentire αἰσθητικῶς ἔχειν ἢ αἰσθητικὸν εἶναι *id est, sensu esse præditum, quæ facultas naturalis est. Aliàs transitiuum est, ut, Sentio suauitatem cibi: Aspectu uel animo aliquid sentio. Sentio aliquid fieri. Vera sentio de hac re.*

IIII. Sententia.

Ea est Dei uita, qua nihil beatius, nihil omnino bonis omnibus affluentius cogitari põt. Nihil enim agit, nullis occupationibus est implicatus; nulla opera molitur, sua potentia & uirtute gaudet: habet exploratum, fore se semper tum in maximis, tum in æternis uoluptatibus. Es hat ein solche gestalt vm dz Göttlich wesen / dz mã nichts seli-

seligers / gantz vnnd gar nichts mit vorthat aller guten ding paß verse⸗hen / erdencken kan. Dann er thut nichts: er ist mitt kainen jrrigen ge⸗schäfften beladen: er vnderfahet sich kainer schwerē arbait: er frewet sich seiner macht vn̄ tugend: er waist ge⸗wiß / das er für vnd für die aller grö⸗sten vnd ewige freud vnd wunn ha⸗ben wirdt.

Τοιοῦτός ἐστιν ὁ θεοῦ βίος, ὥστε μηδὲν μὲν αὐτοῦ μακαριώτερον, μηδόλως δὲ μηδὲν ἐπὶ πᾶσιν ἀγαθοῖς ἀφθονώτερον οὐδ' ἐννοεῖν οἷόν τε εἶναι. τῇ μὲν γὰρ ἰδίᾳ δυνάμει τε καὶ ἀρετῇ χαίρει, πε-πληροφόρηται δὲ, ὅτι διὰ παντὸς τῶν τε μεγίστων καὶ ἀϊδίων ἡδονῶν ἀπολαύσει.

Sine circuitione sic dicere potuisset: nihil est Dei uita beatius, uel, nihil beatius quàm Dei uita cogitari potest.

Qua nihil beatius.

Relatiuum qui, quæ, quod, præsertim comparatiuis iunctum, non commodè potest uernaculo sermone explicari. Ineptum enim fuerit si uertas, Dann welches nichts seli⸗gers kan erdacht werden. *Commodius uertes si τὸ quà, mutes in τὸ, ut ea. Quanquã*

particula ea, id est, ablatiuus comparatiui proprius, commodè omittitur: Licet igitur uertas:

Gottes leben oder wesen ist also geschaffen/*uel*, es hatt ain solche gestalt vñ das Göttlich wesen/dz man nichts seligers erdencken kan.

Ea est Dei uita.

Ad sententiam ipsam quod attinet, Epicuri scholam sapit. Sed si commodè intelligatur, ferri potest, adhibita distinctione actionum humanarum, quæ laboriosæ & solicitæ sunt, & diuinarum, quæ nihil laboris habēt, nihil solicitudinis, nihil molestiæ. Velle idem Deo est, imò infinito interuallo minus est Deo, quàm homini, summo studio, solicitudine, labore, molestia, ærumna aliquid conficere. Dei uoluntas sola & condidit & moderatur & tuetur omnia, sine ulla difficultate, sine ulla molestia. Itaque si cum miseria humana conferatur: uideri potest nihil agere, cum agat omnia: sed aliter quàm nostræ mentis angustiæ capere possunt. Et sacræ & profanæ literæ Deo tribuunt occupationes & affectiones humanas, cum infinitum discrimen sit inter

Deum

Deum & hominem. Hæc ἀνθρωποπαθῶς intelligenda esse monent Theologi, quòd humanæ affectiones Deo tribuantur, non quòd in eo sint (id enim dictu nefas fuerit) sed quòd homines aliter de Deo nihil possunt intelligere, nisi res hominibus notæ in medium afferantur. Deus igitur irascitur peccatis, hoc est, improbat peccata: sed non propterea commouetur & excandescit, & in conuicia & uerbera erumpit, ut homo: sed constituit peccatis pœnam suo tempore luendam. Quicunq; igitur affectus Deo attribuuntur: ij sic accipiendi sunt, ut per eos nihil aliud, nisi ordo diuinitus in rebus conditis institutus intelligatur. Quod ut minus obscurum sit, quanquam Deo nihil rectè comparari potest (nulla enim est inter conditorem & rem conditam, & (ut uulgò dicunt) finiti ad infinitum proportio) sed tamen ut res fiat paulò dilucidior, Deus conferatur legi, quæ iubet, quæ uetat, quæ præmia, quæ supplicia constituit. Legi obtemperans, pœnam uitat, præmio fruitur. Qui eam uiolat: & præmio caret, & pœnas luit. Videri igitur possit lex fauere rectè facientibus, & affici lætitia: contráque irasci maleficio, eóque dolere.

Sed hi affectus hominum sunt, eorúmque non

non sapientum (si dicere fas est.) Sapienti enim nihil debet esse noui, sed meditata multò antè omnia. Ergò nec efferri læticia, nec tristicia deyci, sed æqui boniq; facere omnia tū decet. Sed hæc hactenus. Neq; enim de rebus diuinis cogitare, nedum loqui possumus, ut decet. Vtile tamen est stultam uulgi opinionem minuere, ita de Deo sordidè loquentis et sentientis, ut, si talia regi homini tribuantur, probari non poßint, Phalaride aut Nerone digniora. Sed scelerati & flagitiosi homines, angente conscientia, furorem etiam Deo suum tribuunt. Vnde Dauid exclamat: Ne in furore tuo argue me Domine: nō quòd Deus furenter irascatur: sed quòd se omni supplicio dignum esse intelligit, & sentit horrendos animi cruciatus. Qui quidem tum atrocißimi sunt, cum moribundis hominibus obuersantur: Diabolo memoriam facinorum omnium renouante, eaq; exaggerante. Quò cautiores in omni uita esse debebamus, & contra principis huius Mundi uiolentiam, & Leonis rugientis rapacitatem, & τοῦ μυελοπίχου insidias diuini auxilij præsidio, hoc est, pijs & aßiduis precibus nos, quasi firmißimo uallo & propugnaculo, munire atque defendere.

V. Sen-

v. Sententia.

In Mundo DEVS est aliquis: qui regit, qui gubernat, qui cursum astrorum, qui mutationes temporum, rerum uicissitudines ordinesq́ conseruat: terras & maria cõtemplatur: hominum commoda, uitasq́ tuetur.

Es ist ain Gott inn der wellt/der da regiert/der da herschet/der den lauff deß gestirns/der die abwechslung der jar zeyt/die änderung vnd ordnung aller ding erhellt/der auff wasser vnd land ain auffsehen hatt/das menschlich leben beschirmet/vñ mit aller nottufft versihet.

Θεός τις ἐστιν ἐν τῷ κόσμῳ, ὁ διοικῶν, ὁ κυβερνῶν, ὁ τὰς τῶν ἀστέρων περιφορὰς, ὁ τὰς μεταβολὰς τῶν ὡρῶν, ὁ τὰς τῶν πραγμάτων διαδοχάς τε καὶ τάξεις διασώζων: ὁ τήν τε γῆν καὶ τὴν θάλατταν ἐπισκοπῶν, ὁ τὰς ὠφελείας τε καὶ τοὺς βίους τῶν ἀνθρώπων διαφυλάττων.

Censura.

Prouidentiam Dei, & curam rerum humanarum piè uereq́ celebrat.

VI.

Ipsis in hominibus nulla gens est neq́ tam imman-

immansueta, neq; tam fera: quæ non, etiamsi ignoret, qualem Deum habere deceat: tamen habendum sciat.

Es ist kain volck vnder der sunnen weder so vnartig noch so wild/ das nit wisse/ das man ain Gott haben solle/ ob es schon nit waist/ was sü: ainen man haben solle.

Ἐν τοῖς ἀνθρώποις οὐδὲν ἔθνος οὔτε οὕτως ἄγριον οὔτε οὕτω θηριῶδές ἐστιν, ὥστε μὴ, καίπερ ἀγνοοῦν, ὁποῖόν τινα θεὸν ἔχειν χρὴ, ὅμως ὅτι ἔχειν τινὰ δεῖ, γινώσκειν.

VII.

Omnibus innatum est & quasi insculptum, esse Deos.

Es ist jederman angeporn/ vnnd gleichsam jnns hertz geschnitzet/ das ain Gott seie.

Πᾶσιν ἔμφυτόν ἐστι, καὶ οἱονεὶ ἐγκεχάρακται, ὅτι θεοί εἰσι.

VIII.

Quid potest esse tam apertum, tamq; perspicuũ, cum cœlum suspeximus, cœlestiaq; contemplati sumus: quàm esse aliquod numẽ præstantißimæ mentis, quo hæc regantur?

Was kan so häll vnnd klar sein/ wänn

wann wir den himel ansehen / vnnd das gestirn betrachten / dan das ain firtreffenlicher weiser Gott seie / von dem dises alles geregiert werde?

Τί δύναται εἶναι οὕτω μὲν ἀναπεπταμένον, οὕτω δὲ φανερὸν ἀναβλέψασιν ἡμῖν εἰς τὸν οὐρανὸν, καί τε οὐράνια τεθεωρηκόσι, τοῦ, θεῖόν τε εἶναι κρείττισον τὴν διάνοιαν, ὑφ᾽ οὗ τὰ ἐνθάδε διοικεῖται;

I X.

Quis est tam uacors, qui cum suspexerit in cælum, Deos esse non sentiat? & ea, quæ tanta mente fiunt, ut uix quisquam arte ulla ordinem rerum atq; uicissitudinem persequi possit: casu fieri putet?

Wer ist aines so geringē verstāds / der / wan er gehn himel auffsihet / nit mercke / das ain Gott seie? vnd vermaine / das die ding / die so mit grossem verstand zugehn / das schier niemand mit ainicher kunst jr ordnūg vnd änderung begreiffen mag / ohn gefahr geschehen?

Τίς ἂν οὕτως ἀναισθήτως ἔχοι, ὅστις ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν, ὅτι θεοί εἰσιν οὐκ ἂν αἴσθοιτο; ἢ τὰ μετὰ τοσαύτης προνοίας γιγνόμενα, ὥστε μηδένα σχεδὸν οὐδεμιᾷ μηχανῇ τῆς διαταξίας τε καὶ τῶν διαδοχῶν τῶν πραγ-

τῶν πραγμάτων ἐφικέσθαι, αὐτομάτως συμβαίνειν οἴοιτο;

X.

Dij semper fuerunt: nati nunquam sunt: æterni sunt futuri.

Gott ist von ewigkait gewest: nie geporn worden: wirdet auch ewig bleiben.

Οἱ θεοὶ ἀεὶ μέν εἰσιν· οὐδέ ποτε δὲ γεγόνασι, ἀΐδιοι δὲ μέλλουσιν ἔσεσθαι.

XI.

DEVM agnoscimus ex operibus eius.

Wir erkennen Gott auß seinen wercken.

Τὸν θεὸν ἐπιγινώσκομεν ἐκ τῶν ἔργων αὐτοῦ.

D. Paulus.

Τὰ ἀόρατα τοῦ θεοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου, τοῖς ποιήμασι νοούμενα, καθορᾶται, ἥτε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης.

XII.

Commoda quibus utimur: lucem qua fruimur: spiritum quem ducimus: à Deo nobis dari, & impartiri uidemus.

Wir sehē das vns alles gutes deß wir geniessen/das liecht deß wir vns gebrauchē/der atem den wir an uns ziehen/

ziehen/von Gott gegeben vnd mit-
getailt wirdet.

Τά, τε ἐπιτήδεια οἷς χρώμεθα, καὶ τὸ φῶς οὗ ἀπολαύομεν, καὶ τὸ πνεῦμα ὃ πνέομεν, θεόθεν ἡμῖν ὑπάρχειν καὶ μεταδεδόσθαι ὁρῶμεν.

XIII.

Illud uideto, ut Deum noris, etsi eius ignores & locum & faciem.

Befleiß dich Gott zůerkennen/ob du schon nit waissest/wo er ist/ vnnd wie er sihet.

Ὅπως τὸν θεὸν ἐπιγινώσκῃς, καίτοι τόν τε τόπον αὐτοῦ, καὶ τὸ πρόσωπον ἀγνοῶν.

XIIII.

Firmißimum hoc afferri uidetur, cur Deos esse credamus: quòd nulla gens tam fera est, nemo omnium tam immanis: cuius mentem non imbuerit Deorum opinio.

Mich beduncke / man könne mitt nichten krefftiger beweisen/ vñ kain stercker vrsach anzaigen / warum wir glauben sollen/dz ain Gott seie: dan dz kain volck so wild / niemand inn der welt so verstockt vnd vihisch ist/dem nit sein aigen hertz sage / das ain Gott seie.

Τοῦτο τὸ ἰσχυρότατον εἶναι δοκεῖ τῶν πειθόντων ὅτι θεοί εἰσιν, ὅτι δὴ μηδὲν μὲν ἔθνος οὕτως ἄγριον, οὐδεὶς δὲ τῶν ἁπαξαπάντων οὕτω θηριώδης ἐστὶν, ὥστε τὴν διάνοιαν αὐτοῦ μηδεμίαν ἔχειν πρόληψιν περὶ τοῦ θείου.

XV.

Deus ipse qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi non potest, nisi mens soluta quædam & libera, & segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens & mouens, ipsaq́ prædita motu sempiterno.

Gott selbs / wie er von vns verstanden wird / kan auff kain andere weis verstanden werden / dann ain lediger vnd freier gaist / vnd von allem vergengklichen zeug vnnd gewächs abgesindert : der da alles merckt vnnd bewegt / vnnd selbs ain ewige bewegung hatt.

Hæc interpretatio duriuscula est, propter insolentiam ipsarum rerum de quibus agitur: nec facilè commodius explicabitur, nisi longißimè à uerbis recedas, & nouam ipse cũ das sententiam: id quod nec ipse facere soleo: nec alijs cẽseo faciendũ. Fortasse pro merckt / *ponere liceat,* waist vnnd versteht : *pro* bewe-

bewegung hatt / nimmer feirt / sich stethe über.

Αὐτὸν τὸν θεὸν, τὸν νοούμενον ἡμῖν, οὐχ οἷόν τε καθ' ἕτερόν τινα τρόπον νοεῖν, εἰ μὴ νοῦν τινὰ ἀπολελυμένον τε καὶ ἐλεύθερον, καὶ πάσης θνητῆς συμφύσεως κεχωρισμένον, πάντα μὲν αἰσθανόμενόν τε καὶ κινοῦντα, αὐτὸν δὲ ἀκίνητον ὑπάρχοντα.

Censura.

Quidam dicunt, à Deo, immobili principio, alias omnes motiones proficisci. Sed Cicero per sempiternum motum, diuinam prouidentiam & totius Mundi administrationem uidetur intelligere.

XVI.

Artis oratoriæ cum ipsa natura magnã homini facultatem dederit: tamen eius antistes Deus esse putatur: ut & id ipsum quod est hominum proprium, nõ partum per nos, sed diuinitus ad nos delatum uideatur.

Wiewol die kũst deß wolredẽs dem menschẽ angeporn ist: so wirdt doch der erfinder desselbigẽ für ain Gott gehaltẽ (*uel*, ain Gott / nẽlich Mercurius für ain erfinder desselbigẽ) damit man gedẽck / wir habẽ eben das /

das den leutten in sonderhait zů gehört/ nit durch vns selbs erlangt/ sunder von Gott empfangen.

Τῆς τῶν λόγων τέχνης, αὐτῆς τῆς φύσεως μεγάλην ἀνθρώπῳ δύναμιν δεδωκύας· ὅμως ὁ προεστηκὼς ταύτης θεὸς εἶναι νομίζεται· ὅπως ἂν αὐτὸ τοῦτο, τὸ τῶν ἀνθρώπων ἴδιον ὑπάρχον, οὐ δι' ἡμῶν πορισθὲν, ἀλλὰ θεόθεν κατενεχθὲν δοκῇ.

XVII.

Nemo magnus sine aliquo afflatu diuinō unquam fuit.

Es ist nie kain tapferer held gewesen / oñ sundere gnad Gottes / vnnd aingebung deß Hailigen gaists.

Οὐδεὶς πώποτε μέγας ἄνευ θείας τινὸς ἐπιπνοίας ἐγένετο.

XVIII.

Nihil est quod DEVS efficere nō poßit, & quidem sine labore ullo.

Gott sein alle ding müglich / vnnd darzů (eben) on alle můh vnd arbait.

Οὐδέν ἐστι τῶν πάντων ὅπερ οὐκ ἂν ὁ θεὸς διαπράττεσθαι, ἀμοχθεὶ μὲν οὖν, δύναιτο.

Ῥᾷδια πάντα θεῷ τελέσαι καὶ ἀνήνυτον οὐδέν.

XIX.

XIX.

Sit hoc à principio persuasum hominibus: dominos esse omnium rerum ac moderatores Deos: eaq; quæ gerantur, eorum geri iudicio ac numine: eosq; optimè de genere hominum mereri: & qualis quisq; sit, quid agat, quid in se admittat? qua mente, qua pietate colat religionem, intueri: piorumq; & impiorum habere rationem.

Die leutt sollen erstlich dessen beredt sein/vnd gewiß darfür hallten/ das Gott ain regent vnd herr aller ding seie: vñ dz alles was geschicht/ durch seinen willẽ vñ verhengknuß geschehe: das er auch dem menschlichen geschlecht alles guts beweise: vñ sehe/wie ain jeder seie/wz er thu/ wie er sich hallte (*uel,* was er vnrecht thů oder mißhandel) welcher mainung/vnd mit was andacht er den Gottsdienst verbringe; der auch gottsförchtige vnnd Gottlose leut/ nach aines jeden verdienst/bedencke.

Τοῦτο ἐν τοῖς πρώτοις πεπείσθωσαν οἱ ἄνθρωποι, ὅτι κύριοι τῶν πάντων εἰσὶ καὶ διοικηταὶ οἱ θεοί: καὶ ὅτι τὰ γινόμενα διὰ τῆς ἐκείνων βουλῆς

τε καὶ νεύματος γίγνεται: καὶ ὅτι τὰ μέγιςα τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος εὐεργετοῦσι: καὶ ὁποῖός τις ἕκαςος τὴν γνώμην ἐςί; τί ποτ᾽ ἐπιτηδεύων; τί ποτ᾽ εἰς αὐτὸν ἐξαμαρτάνων; μετὰ ποίας μὲν διανοίας, μετὰ ποίας δὲ εὐσεβείας θρησκεύων; ἐπισκοπεῖ: καὶ τούς τε εὐσεβοῦντας καὶ τοὺς ἀσεβῶς ἔχοντας ἀμείβεται.

X X.

Deorum prouidentia Mundus administratur: ijdemq́ consulunt rebus humanis: neq́ solùm uniuersis, sed etiam singulis.

Die welt wirdt durch Gottes fürsehung verwaltten: er lasset im auch menschliche sachen befolhen sein/ nit allain inn gemain/ sunder auch aines jeden inn sunderhait.

Τῶν θεῶν προνοούντων ὁ κόσμος διοικεῖται: οἱ αὐτοὶ δὲ καὶ τῶν ἀνθρωπίνων ἐπιμελοῦνται, οὐχὶ δὲ καθόλου μόνον, ἀλλὰ καὶ καθ᾽ ἕκαςον.

X X I.

Mala & impia consuetudo est contra Deos disputandi: siue ex animo hoc fiat, siue simulatè.

Es ist ain böse vnd teufelische gewōhait/ wider Gott zu disputirn / es geschehe gleich iñ schimpf oder ernst.

Κακὴ

Κακή τι καὶ ἀσεβὴς ἐστιν ἡ τοῦ κατὰ τῶν θεῶν διαλέγεσθαι συνήθεια, εἴ τι σπουδαζόντων εἴ τι καὶ παιζόντων.

XXII.

Homini timidè de potestate Deorum & pauca dicenda sunt.

Ain mensch solle nit vil/ vnd ohn vermessenhait von Gottes gewalt reden.

Δεῖ, ἄνθρωπόν γε ὄντα, περὶ τῆς τῶν θεῶν ἐξουσίας εὐλαβῶς τε καὶ δι' ὀλίγων εἰπεῖν.

XXIII.

Nihil est illi principi Deo, qui omnẽ hunc mundum regit (quod quidem in terris fiat) acceptius, quàm concilia cœtusq́ hominum, iure sociati: quæ ciuitates appellantur.

Es ist dem allmechtigen Gott/der dise gantze wellt regiert/ nichts auff erden angenemer/dann die versamlungen vnd gemainden der leut/die man stätt nennet.

Οὐδὲν ἐκείνῳ τῷ ἀρχηγέτῃ τῶν θεῶν, τῷ ὅλον τὸν κόσμον τουτονὶ διοικοῦντι, τῶνγε ἐπὶ γῆς γιγνομένων, προσδεκτότερόν ἐστι τῶν συλλόγων τε καὶ συνόδων τῶν ἀνθρώπων, τῶν πόλεων ὀνομαζομένων.

XXIIII.

Obscurum Deo nihil potest esse.

Gott kan nichts verporgen sein.

Οὐδὲν λαθεῖν τὸν θεὸν οἷόν τ' ἐστί.

XXV.

Ignorare Deus non potest, qua quisque mente sit.

Ἀγνοεῖν τὸν θεὸν ἀδύνατον, ὁποίαν τιν' ἕκαστος ἔχει τὴν διάνοιαν.

Es ist vnmüglich das Gott nitt wisse / wie ain jeder gesinnet seie.

In actis Apostolorum.

Καρδιογνώστης ἐστὶν ὁ θεός.

XXVI.

Innumerabilia parentibus: omnia Dijs immortalibus debemus.

Wir sein vnsern eltern vnzeliche trew / Gott dem allmechtigen alles schuldig / was wir an gut vnd plut vermügen.

Ἀναρίθμητα μὲν τοῖς γονεῦσι, τοῖς δὲ θεοῖς ἅπαντα ὀφείλομεν.

XXVII.

Dijs immortalibus nos primùm Natura conciliat.

Wir sein Gott dem allmechtigen von natur / die ersten pflicht schuldig.

Τοῖς θεοῖς τοῖς ἀϊὲν οὖσιν ἡμᾶς πρῶτον ἡ φύσις ᾠκείωσε.

XXVIII.

Prima officia Diis immortalibus debemus.

Wir sein die ersten dienst Gott dem allmächtigen schuldig.

Τὰ πρῶτα τῶν καθηκόντων τοῖς θεοῖς ὀφείλεται.

XXIX.

Donis impij ne placare audeant Deos. Platonem audiant, qui uetat dubitare, qua sit mente futurus Deus: cum uir nemo bonus ab improbo se donari uelit.

Gottlose leut sollen sich nit vnderstеen/ Gott mit opferen zuuersünen/ sunder hören was Plato sagt/ der da spricht/ mann solle nit zweiflen/ wie Gott gesinnet sein werde/ dieweil kein biderman geschenck von einem bösen bubē anzunemen begere.

Οἱ ἀσεβεῖς διὰ δώρων ἵλεως ποιεῖσθαι τοὺς θεοὺς μὴ ἐγχειρείτωσαν: μᾶλλον δὲ τοῦ Πλάτωνος ἀκουέτωσαν, τοῦ διστάζειν ἀπαγορεύοντος τίνα γνώμην ἕξειν μέλλει ὁ θεὸς, ἐπεὶ μηδεὶς ἂν τῶν καλῶν κἀγαθῶν ἀνδρῶν ὑπ' ἀνθρώ-

ἀνθρώπου πονηροῦ δωροδοκούμενος, ἀνάσχοιτο.

I I. L O C V S.

Natura dux optima.

Die natur ist die best wegweiserin/ oder/ verfiert niemand/ weiset den leuten den rechten weg.

In secundum caput de Natura.

Etsi cōplura in sententiis de Deo, utiliter annotari poßēt: tamē cū ea doctrina è sacris literis potius quā è philosophia petēda sit: satis mihi fuit, uitādæ plixitatis causa, reprehensis erroribus, ueras sentētias cuiq; cōsiderādas priuato studio relinquere. Locus autē hic de Natura cū & frequēs sit, & minus humani ingenij captū excedat: paulò accuratius est tractandus. Deducitur aūt Natura nomē à uerbo nascor. Cum uerò nihil à seipso nascatur: natura utiq; ad Deū autorē (quò enim aliò poßit?) referēda est, ut Natura significet eam uim & facultatē, quæ cuiq; rei cōditæ, diuinitus est insita & attributa, siue ea animata, siue inanima, siue rationis expers, siue capax, siue aspectabilis & corporea sit, siue corporis expers, sub aspectū oculorum nō cadat. Sic magnetis natura est, attrahere ferrū: succini, paleas: hominis, expetere ueri-

ta-

tatem & felicitatem, Adamantis, ferro esse indomitum, palmæ reniti & reluctari ponderibus impositis. Has uires & facultates rerum naturalium, philosophi studiosè inquirunt, sed causas propinquas & proprias sæpè reddere non possunt, & omnibus rationibus destituti, exclamare coguntur, eas ab arcana Dei sapientia, & potētia, humano ingenio imperuestigabili, pendere ac proficisci. Agitur autem in iis, quæ sequuntur, sententiis, de natura hominis potissimū, cuius laudes prudenter accipiendæ sunt, & è sacris literis iudicandæ. Sciendum enim est, Naturam humanam auersione primorum parentum à Deo, & conuersione ad seipsos & ad diabolū, grauiter esse prolapsam, & in magnis tenebris atq; erroribus cum de Deo diuinisq; reb. & naturalibus uersari, tum etiam uoluntatem humanam esse deprauatā, & ab amore Dei aliorumq; hominum, ad cæcum sui amorē conuersam. Vnde innumerabiles errores, peccata, scelera, ærūnæ, solicitudines, in uita humana extiterunt. Quoties igitur natura commēdatur: ea demū intelligenda est, non quæ nūc est, sed qualis à Deo ad ipsius imaginem ab initio condita fuit. Neq; tamen (nisi importuni & impudentes esse uelimus, ut non-

nonnulli sunt falso religionis prætextu) negare possumus, quin etiam corrupta hæc natura, quasdam diuinæ lucis scintillulas retineat, & de rebus œconomicis & politicis non pessimè iudicare possit. Quia tamen sæpè falsa ueris miscentur: Canon sacrarum literarum (id quod initiò dictum est) necessariò adhibebitur. Methodica tractatio nūc postulat Naturam definiri, id quod tum ab Aristotele, tum ab aliis quibusdam factum est. Sed pleraq. siue definitiones siue descriptiones rudioribus obscuriores uidentur, nec ab eis satis intelligi possunt. Vtile tamen est, uel hanc ob causam, ut maturiori ætate minus nouæ sint, eas in promptu habere.

Aristoteles.

Ἔστιν ἡ φύσις ἀρχή τις, καὶ αἰτία τοῦ κινεῖσθαι καὶ ἠρεμεῖν, ἐν ᾧ ὑπάρχει πρώτως καθ' αὑτὸ καὶ μὴ κατὰ συμβεβηκός, *hoc est, Natura est principium quoddam, & causa motionis & quietis: in quo inest primò, & non fortuitò.*

SVIDAS.

Φύσις ἐστὶν ἡ συνέχουσα τὸν κόσμον, καὶ ἡ φύουσα τὰ ἐπὶ τῆς γῆς. *Natura est, quæ continet Mun-*

Mundum, & terrena producit.

Οἱ παλαιοὶ ἔλεγον μηδὲν τῶν φύσει μάτην εἶναι. *Veteres dicebant, nihil naturale frustra esse.*

Φύσις ἐστὶν ἡ ἁπλῶς τῶν ὄντων κίνησις, πεντάτροπος δ᾽ αὕτη.

Α. Νοερὰ μὲν, ὡς ἐπὶ ἀγγέλων, ἐξ αὐτῶν τῶν νοημάτων ἀλλήλοις συγγινομένων.

Β. Λογικὴ δὲ, ὡς ἐπὶ ἀνθρώπων, δι᾽ ὀνομάτων καὶ ῥημάτων τὰ ἀφανῆ τῆς ψυχῆς κινήματα πρὸς τοὺς ἐκτὸς δημοσιεύουσα.

Γ. Αἰσθητικὴ δὲ, ἡ ἐν τοῖς ἀλόγοις θεωρουμένη. πρὸς γὰρ τῇ θρεπτικῇ, καὶ αὐξητικῇ, καὶ γεννητικῇ δυνάμει, καὶ τὴν αἰσθητικὴν κέκτηται.

Δ. Φυτικὴ δὲ, ἡ ἐν τοῖς φυτοῖς. Κινοῦνται γὰρ καὶ ταῦτα κατὰ τὴν θρεπτικὴν, καὶ αὐξητικὴν, καὶ γεννητικὴν δύναμιν.

Ε. Ἄψυχος δὲ, ὡς ἐπὶ τῶν λίθων. Καθότι καὶ αὐτοὶ κινοῦνται κατὰ τὸ ποιὸν μὲν, ὡς τὸ θερμαίνεσθαι καὶ ψύχεσθαι: καὶ τὸ ποῦ, κατὰ τὴν ἐκ τόπου εἰς τόπον ἑτεροκίνητον μετάβασιν.

Hoc est:

Natura omnino est eorum quae sunt, motio: eaque quinque habet rationes.

I. Prima est, Intelligens, ut in angelis, quorum collocutio posita est in cogitationibus.

II. Ra-

II. Rationalis, ut in hominibus: qui nominibus & uerbis obſcuros animorum motus alijs alij exponunt.

III. Sentiens, quæ in brutis cernitur. Nam præter alendi & augeſcendi & procreandi uim, etiam ſentiendi facultatẽ habẽt.

IIII. Ea quæ eſt in ſtirpibus, quam uegetantem uocant. Nam hæ quoq; & alendi & augeſcendi & procreandi uim habent.

V. Inanima, ut in lapidibus. Nam & hi mouentur: qualitate, ut cum caleſcunt & frigeſcũt: & ex alio loco in alium, alieno motu, tranſitione.

Τὰ περὶ τὴν κίνησιν σύνθετα:
- ἀκίνητον.
- ἑτεροκίνητον.
- αὐτοκίνητον.
- ἀεικίνητον.

Compoſita à motu:
- *Immobile.*
- *Aliunde mobile.*
- *Per ſe mobile.*
- *Semper mobile.*

Natura

Natura dux optima.

Scilicet, quatenus à præscripto Dei non recesſit. Significat autem id rectiſsimè fieri, quod natura cuiusque postulet. Quod ut intelligatur: ea cognitu necessaria sunt, quæ philosophi de Natura rerũ, atq; inprimis de natura animalium, hominis præsertim (hoc enim nostra maximè interest) conscripserũt. Sed suo loco ac tempore quælibet disciplinæ sunt cognoscendæ. Neq; enim simul omnia tradi ac doceri possunt. Monendi tamen sunt studiosi pueri, si doctrinam solidam expetãt, omnes artes liberales, quæ hac de causa ἡ ἐν κύκλῳ παιδεία dicuntur, certa methodo cognoscendas esse. Nulla enim sine reliquis accuratè & perfectè potest intelligi. Quod uel ex eo constat, quòd Donati Grãmaticæ definitiões obscuræ iis sunt, & inexplicabiles, q Dialectica atq; adeò Metaphysica nõ attigerunt.

Natura dux optima uiuendi.

Ferri hoc potest, si de uita ciuili intelligatur, etsi in ea quoq; præstãtiſsimi quiq; uiri uel suæ sapiẽtiæ persuasione decepti sunt, uel nimiũ affectib. indulserũt: & dum uel ambitionis suæ, uel auariciæ rationẽ habent, alios contra naturam uiolarunt. Quid enim (ut cætera regna taceã) aliud fuit nisi castra, ad solici-

ſolicitandos & infeſtandos omnes finitimos in medio poſita?

Mater rerum omnium Natura.

Deus autem ipſius Naturæ pater cum ſit, idem etiam rerum omnium eſſe autor intelligatur.

Omnium eſt Natura communis.

Id eſt, Homines ex æquo animalia ſunt rationis & orationis capacia. Diſcrimē autem ſapientiæ & eloquentiæ maximum eſſe inter ipſos homines, etſi notum eſt: Naturæ tamen eadem communitas manet, ſicut lapis unius unciæ non minus lapis eſt, quàm ſaxum centenarium: ſed non tantus neque tam grauis. Diſcrimen igitur facit, non ſubſtantia, id eſt, natura: ſed aduentitium aliquid, quod accidens uulgo dicunt, ut eſt quantitas aut qualitas, & reliquæ Categoriæ.

Sua cuiuſque animantis natura eſt.

Perſpicua eſt hæc ſententia ſi uel aſinus cum equo comparetur.

Sua cuique natura eſt ad uiuendum dux.

Indicat hæc ſententia quid ſoleat fieri, nō quid

quid debeat. Multorum enim natura propensa est ad mendacia, furta, latrocinia, cædes, adulteria, flagitia & scelera omnis generis, quæ non sequenda, sed corrigenda sunt. Sic poeta.

Hic satus ad pacem; hic castrensibus utilis armis:
Naturæ sequitur semina quisq; suæ.

Est autem una quædam natura communis omnium hominum: alia propria cuiusque; quas ἰδιοτροπίας, καὶ ἰδιοσυγκρασίας Ptolemæus in opere suo Astrologico uocat. Qua de re consulatur primus liber Ciceronis de officijs, quo loco de decoro disputat.

Multis signis Natura declarat, quid uelit ac quærat: quid desideret: Obsurdescimus tamen, nescio quo modo: nec ea quæ ab ea monemur, audimus.

Loquitur & hic de natura humana: quã & figura corporis erecta & sublimis, & excellentis ingenij ratio & sermonis facultas declarant, conditam esse à Deo: non tantùm ad perfruendas corporis uoluptates: sed etiam ad contemplationem rerum cœlestium, & ad societatem ciuilem: cuius ministra

atque interpres est oratio: & ad studium uirtutis & sapientiæ, &c.

Quid uelit ac quærat?

Tertio libro de officiis ipse autor hæc uerba sic interpretatur: recta & conuenientia, & constantia, natura desiderat, aspernatúrque contraria.

Obsurdescimus nescio quomodo.

Contumacia affectuum aduersus rationis iudicium hic describitur: sed causa ignoratio dißimulatur: quam sacræ literæ solæ declarant. Agnouit hanc naturæ humanæ corruptionem, nisi fallor, etiam Isocrates, cum in fine Paræneseos scribat: Μόλις γὰρ ἄν τις ἐκ ταύτης τῆς ἐπιμελείας, τὰς τῆς φύσεως ἁμαρτίας ἐπικρατήσειεν, *hoc est, uix enim, uel hac adhibita diligentia, naturæ peccata quispiam superabit. Et in Philippica.* Ἀλλὰ γὰρ πάντες ἐξαμαρτάνειν πλείω πεφύκαμεν ἢ κατορθοῦν. *At uerò ita natura comparatum est, ut sæpius delinquamus, quàm officio fungamur. Et Cicero bonam rationem paucis, malam plurimis esse datam affirmat: multóque apertius id declarat, ita scribens in officijs: Quotusquisque est, qui ignoratione omniũ & impunitate proposita, iniuria poßit abstinere?*

Faci-

Facilè indicat natura uim suam, cum quod facere ipsi non possunt, id rectè in altero fieri iudicant.

Dissidium idem rationis & affectuũ, & hic ostenditur. Omnes sciunt, amicitiam bona fide colendam esse, pauci tamen hoc faciunt: non quòd faciendum esse ignorent: sed quòd uel incommoda fugiunt, uel suum negocium agere malunt.

Si tales nos natura genuisset: ut eam ipsam intueri & perspicere: eadémque optima duce, cursum uitæ conficere possemus: haud erat sanè, quòd quisquã rationem ac doctrinam requireret: cũ Natura sufficeret. Nunc uerò paruulos nobis dedit igniculos: quos celeriter malis morib. opinionibusq; deprauatis sic restinguimus, ut nusquã Naturæ lumẽ appareat. Sunt eñ ingenijs nostris semina innata uirtutũ. Quæ si adolescere liceret: ipsa nos ad beatã uitã Natura pduceret. Nunc autem simul atq; in lucem editi & suscepti sumus: in omni continuo prauitate, & in summa opinionũ peruersitate uersamur: ut penè cum lacte nutricis errorẽ suxisse uideamur. Cum uerò parentibus redditi, deinde magistris traditi

ſumus: tum ita uarijs imbuimur erroribus, ut uanitati ueritas, & opinioni confirmatæ Natura ipſa cedat.

Scopus huius ſententiæ eſt, neceſſariam eſſe doctrinam, & liberalem inſtitutionem, duabus de cauſis: una, quòd infirma ſit natura humana: altera, quòd magis etiam, falſis opinionibus & malis exemplis deprauetur. Vtraq; cauſa & uerißima & grauißima eſt, eoq; ſtudioſius & ſacra & pſana ſcripta uerſanda ſunt: ut & Naturæ lumen, quaſi infuſo oleo, alatur & inflammetur: & opinionum uitiorumq; tenebræ diſcutiantur. Naturæ nimium tribui à philoſophis, initio dictum eſt. Sed tamen negare non poſſumus, maiorem propemodum eſſe corruptelam opinionū & exemplorum, quàm ipſius Naturæ. Etſi prauæ opiniones & mali mores, è corrupta natura ceu fonte quodam uenenis infecto, tanquā riuuli æquè uenenati, promanant. Admoneri debent hac ſententia parentes, magiſtratus, & præceptores, ut & falſas opiniones (quantum fieri poteſt) refellant, & mala exempla pro uiribus caueant. Falſis autem opinionibus opponēda eſt cognitio ueritatis: Prauis moribus honeſta ab ineunte ætate educatio.

Ha-

Hactenus explicandis sententiis Ciceronis progreßi sumus: quas anno 1561, 5. Calend. Septembris extra ordinem studiosis quibusdam adolescentulis suo Marte & Græcè & Germanicè conuertendas proposuimus: adiuta eorum, ubi opus fuit, imbecillitate & inscientia. Neq; uerò omnia, quæ tum à nobis dicta fuerunt, hic perscripta sunt: sed è multis pauca annotata: quibus uiam alijs, exemplum nostrum imitandi, si probarint, monstrare uoluimus: quæ ut in optimam partem accipiantur, & uenia detur erratis, oramus.

Augustæ Vindelicorum. Anno salutis 1578. Idibus Ianuarij.

ΑΛΦΑΒΗΤΟΝ ΗΘΙΚΟΝ ΓΡΗΓΟΡΙΟΥ ΤΟΥ Ναζανζηνοῦ.

ALPHABETVM MORALE GREgorij Nazanzeni, cum breui explicatione.

Verbum uerbo. Iambicus trimeter.

ΑΡχὴν ἁπάντων καὶ τέλος ποίει θεόν.
Principiũ omniũ et finem fac Deum.
Rerũ omniũ fac finẽ et prĩcipiũ Deũ.

Explicatio ſententiæ.

I. Auſpicaturus aliquid, pete à Deo felicem ſucceſſum: re perfecta, Deo gratias agito.

II. Nihil agẽdũ ſuſcipe, qđ Deo diſplicere ſuſpicaris: nihil omitte, qđ Deo gratũ eſſe noſti.

III. Totius uitæ tuæ curſus eò referatur p̃cipuè, ut tibi cũ Deo bene cõueniat. In primis igitur ſacra ſcriptura diſcenda eſt, ut Dei & natura & uoluntas erga nos, uerè cognoſcatur. Quia initiũ ſapientiæ eſt timor domini.

Βίου τὸ κέρδος ἐκβιοῦν καθ' ἡμέραν.
Vitæ lucrum, uitam producere quotidie.
Vitæ lucrum hoc eſt, uitæ ſi deſit nihil.

Monet, nõ appetẽdas eſſe magnas opes: ſed hoſpitio, uictu, et amictu nos cõtẽtos eſſe oportere: ſicut et D. Paul⁹ p̃cipit: his uerbis, Μέγας ἐστὶ πορισμὸς εὐσέβεια μετ' αὐταρκείας. ἔχοντες τοίνυν σκεπάσματα καὶ διατροφὰς, τούτοις ἀρκεσθησόμεθα

Γίγνω-

Γίγνωσκε πάντων τῶν καλῶν τὰ δράγματα.
Cognosce omnium bonorum manipulos.
Summam bonorum fac ut noris omnium.
Summa boni Deus est: quē in primis cognoscere debemus. Sed q̃a id suprà monuit: rectius hoc de bonis artibus intelligetur: in quib. singulis cùm ad aliquam perfectionē peruenire non omnibus liceat: summa tamen quadā de illis est tenēda. idq́; facilè fieri potest his tēporibus: quib. doctißimi uiri elegātes & eruditas epitomas cōfecerūt [redacted] *Grāmaticæ, Dialecticæ, Rhetoricæ, Philosophiæ, Theologiæ, & alij aliarum artium.*
Δεινὸν πένεσθαι, δεινὸν εὐπορεῖν κακῶς.
Acerbum est egere, acerbum ditescere malè.
Durum est egere, malè ditari durius.
Paupertatis incommoda cum bona conscientia, præstant diuitiis malè partis.
Ἐυεργετῶν μέμνησο μιμεῖσθαι θεόν.
Benefaciendo memento imitari Deum.
Deus benefacit etiam ingratis. Sic nos quoq; benefici esse debemus in omnes, sine respectu remunerationis.
Ζήτει θεοῦ σοὶ χρηστότητα, χρηστὸς ὤν.
Quære Dei tibi bonitatem, bonus ut sis.
Sis lenis ipse, lenem ut inuenias Deum.
Qualem Deum tibi esse optas: talis tu ipse

alijs hõinib. esto, clemẽs nimirũ et misericors.
Ἡ σὰρξ κρατείσθω κ̀ δαμαζέσθω καλῶς.
Caro uincatur & dometur probè.
Fræna rebelles praue carnis impetus.
Omnes cupiditates & affectus, cũ lege DEI *non consentientes, uocabulo carnis intelligi, & summa ui coherceri debent.*
Θυμὸν χαλίνε, μὴ φρενῶν ἔξω πέσης.
Animum fræna, ne mentem extra ruas.
Iram coherce, ne furor mentem opprimat
Ira fa[illegible]*uare qui animi sanitatem charam habet, iracundiæ moderetur.*
Ἑστάμενον ὄμμα, γλῶσσα ᾗ σταθμὴν ἔχοι.
Stabilis sit oculus, lingua uerò mẽsuram, uel pondus habeat.
Oculos uagari, nec minus linguam ueta.
Verecũdia oculorũ, et linguæ moderatio p̃cipitur. Ἑστάμενον ὄμμα *potest etiam, Euãgelica phrasi, de cõstantia colendæ pietatis intelligi.*
Κλεὶς ὠσὶ κείσθω, μηδὲ πορνικὴ γέλως.
Sera auribus ponatur, neque meretricem imitetur risus.
Clausas tene aures, risus absiet procax.
I. Respuendi sunt obscæni & noxij sermones.
II. Arcana tibi credita nemini dicito.
III. Cachinnorum proteruitas uitanda est.
Λύχνος βίε σοὶ παντὸς ἡγείσθω λόγος.
Lu-

Lucerna uitæ tibi omnis dux sit ratio.
Lucerna uitæ ratio duxq́, sit tuæ.
Affectus cæci & turbulenti sunt, homineḿq, in mala plurima præcipitant. Opinio fallax & incerta, in auia seducit. Sola ratio ueritatem & uirtutem uerasq́, utilitates monstrat: si DEI uerbo gubernari se patiatur.
Μή σοι τὸ εἶναι τῷ δοκεῖν ὑποῤῥέοι.
Ne tibi ueritas opinione submergatur.
Opinio ne ueritatem uicerit.
Rerum ueritas est consideranda: non externa species, quæ sæpe fallit. Vel, Ne malis uideri quàm esse bonus & sapiens.
Νόει τὰ πάντα· πρᾶττε δ' ἃ πράττειν θέμις.
Intelligito omnia: sed age, quæ agere fas est.
Cognosce cuncta, sed quod est bonum tene.
Etiam malarũ rerum cognitio prodest: tum ut uitia & scelera oderimus: tum ut ne temerè credamus & fidamus improbis: sed serpentinam prudentiam cum simplicitate columbina coniungamus.
Ξένον σεαυτὸν ἴσθι, καὶ τίμα ξένους.
Hospitem teipsum scito: & cole hospites.
Cole hospites, teq́, esse noris hospitem.
Vita humana in terris peregrinatio est, uel potius exilium. Cœlum est uera patria, Vel. Nemo est, quin fieri posit, ut pulsus patria, cogatur

gatur inter peregrinos uiuere. Præcipitur hospitalitas, & monemur, ut de uera patria: hoc est, de beata immortalitate consequenda, cogitemus.
Ὅτ' εὖ πλοεῖς, μάλιστα μέμνησο ζάλης.
Quando bene nauigas, maximè memento tempestatis.
Turgente uelo, fluctuum fac sis memor. Vel, Secunda uela turbo sæpe disiicit.
Sic Terentius in Phormione: Omnes cum secundæ res sunt maximè, tum maximè meditari secum oportet, quo pacto aduersam ærumnam ferant, pericla, damna, exilia peregrè rediens semper cogitet, &c.
Πάντ' εὐχαρίστως τ' ἀκ θεοῦ δέχεσθαι χρή.
Omnia gratè, quę sunt à Deo, accipere oportet.
Quæ dat Deus, grato sumamus pectore.
Primùm enim, nihil nobis debet. Deinde illa etiam, quæ infortunia uidentur, pijs in bonū uertuntur.
Ῥάβδος δικαίου πλεῖον ἢ τιμὴ κακοῦ.
Baculus iusti plus est, quàm honos mali.
Boni crux sceptris impij præstat uiri.
I. Vir bonus calamitosus, felicior est improbo honorato.
II. Vel, præstat à bonis uapulare, quàm ab improbis honorari.
Tum

Tum ita uerto:
Potiora iusti uerbera æstima uiri
Honore quem grex impiorum detulit.
Σοφῶν θύρας ἔκτριβε, πλουσίων δὲ μή.
Sapientum fores attere diuitum uerò non.
Docti fores frequenta, diuitis minus.
Qui sapientum familiaritate gaudet, se magni facere sapientiam declarat. Qui diuites affectatur de industria: is uel assentator, uel auarus, uel lurco, uel ambitiosus habetur.
Τὸ μικρὸν οὐ μικρὸν, ὅταν ἐκφέρῃ μέγα.
Paruum non paruum est, quando protuleris magnum.
Ne parua ducas, magna quæ produxerint.
D. Hieronymus: Non sunt habẽda pro paruis, sine quibus constare maxima non possunt. Sic Grammatica non est contemnenda, cum sit fundamentum totius orationis. Sic ad minuta delicta non est cõniuendum, quia pariunt rem pessimam, peccandi consuetudinem.
Ὕβριν χαλίνου· καὶ μέγας ἔσῃ σοφός.
Ferociam frena, & magnus eris sapiens.
Sapiens habebere, si ferociam domes.
Ὕβρις significat quicquid fit aut dicitur nulla necessaria de causa, ex mera aĩ libidine & petulantia. Magnæ aũt sapiẽtiæ est moderari affectus, & uelut in gyrũ rectæ rationis ducere.

Φύλαοσε

Φύλασσε σεαυτὸν, πτῶμα δ' ἄλλου μὴ γέλα.

Custodi teipsum, casum uerò alterius ne ride.

Tibi caue: lapsus rideto neminis.

In quam calamitatem, flagitium, dedecus, ullus alius est prolapsus: in eadem omnia & tu prolabi potes, desertus à Deo, impulsus à diabolo. Cautus igitur esto, non derisor.

Χάρις φθονεῖσθαι· τὸ φθονεῖν δ' αἶσχος μέγα.

Voluptas est inuideri: inuidere autem probrum ingens.

Volupe inuideri: at inuidere dedecet.

Felicitatis comes est inuidia, perditissimi ingenij signum.

Ψυχὴ θύοιτο μᾶλλον ἢ τὸ πᾶν θεῷ.

Anima sacrificetur potius quàm quiduis DEO.

Mens pura quauis gratior hostia est DEO.

Nulla res est, qua DEVS magis delectetur, quàm anima hominis, uera ipsius cognitione & uirtutibus, timore, fiducia, dilectione Dei & hominum illustrata: & à prauis cupiditatibus repurgata.

Ω. τίς φυλάξει ταῦτα; καὶ σωθήσεται.

O. Quis custodiet hæc, & seruabitur.

O. Quis tenebit hæc, & prosperabitur?

Quasi dicat, pauci sunt, qui hæc præcepta curent, sed utinam ea multi obseruarēt, ingens relaturi præmium: hic bonæ conscientiæ approbationem:

probationem: illic æternam felicitatem: quã nobis omnibus largiatur sacrosancta Trinitas: ubi alphabetum miseræ & caducæ huius uitæ confecerimus. Amen.

Admonitio.

Studiosi adolescentis est, Alphabetum hoc similibus Comicorum & Tragicorum monostichis locupletare. Qualem nos olim magnã syluam congessimus: nec adycere hic uoluimus, cùm ne prolixiores essemus: tum quòd utilius est in ys congerendis unumquenq; laborare. Subyciamus tamen exempli causa singulis Gregorianis singulos aliorũ autorũ.

Ἄνοια θνητοῖς δυστύχημ᾽ αὐθαίρετον.
Βουλῆς τῆς ὀρθῆς οὐδὲν ἀσφαλέστερον.
Γνῶσις βροτῶν μέγιστον ἐν βίῳ κλέος.
Δόξης ἀεὶ φρόντιζε τῆς αἰωνίου.
Ἔστιν Δίκης ὀφθαλμὸς, ὃς τὰ πάνθ᾽ ὁρᾷ.
Ζηλωτὸς ἀρετῆς ἐστὶ καὶ σοφίας πόθος.
Ἡγοῦ τύχης φρόνησιν ἀσφαλεστέραν.
Θεὸν σέβου· καὶ πάντα πράξεις δεξίως.
Ἴσος ἴσθι κείνων τοῖς φίλοις καὶ μὴ φίλοις.
Καρπὸς τῆς ἀρετῆς ἐστιν εὔτακτος βίος.
Λάβε πρόνοιαν τοῦ προσήκοντος βίου.
Μέμνησο νέος ὢν, ὡς γέρων ἔσῃ ποτέ.
Νέος πεφυκὼς χρηστὰ πολλὰ μάνθανε.

Ξυνετὸς

Ξυνετὸς πεφυκὼς, φεῦγε τὴν πανουργίαν.
Ὁ δίκαιος ἄδολον γνήσιαν τ᾽ ἔχει φύσιν.
Πάντη μέν ἐστι, πάντα δὲ βλέπει θεός.
Ῥῦου σεαυτὸν παντὸς ἐκ φαύλου τρόπου.
Σοφὸς ὢν ἐν αὐτῷ περιφέρει τὴν οὐσίαν.
Τρόπος δίκαιος κτῆμα τιμιώτατον.
Ὑπὲρ εὐσεβείας καὶ λάλει καὶ μάνθανε.
Φεῦγ᾽ ἡδονὴν ἔχουσαν ὕστερον βλάβην.
Χρόνῳ τὰ πάντα γίγνεται καὶ κρίνεται.
Ψυχὴν ἔθιζε πρὸς τὰ χρηστὰ πράγματα.
Ὡς οὐδὲν ἡ μάθησις, ἣν μὴ νοῦς παρῇ;

F I N I S.

M. SCHEN.

RERVM, IN HOC OPERE COMPREHENSARUM, SUMMARIUS INDEX.

Clitoma-

conditor

quanta

E

homines

poeta

FINIS.


BIBLIOTECA



206
1200

n dedit nos in
in dentibus eor
ma nr̃a sicut

in sicut in circ
sic mons syon
commouebitur
qui habitat in

